3 1761 09622437 3

PRESENTED

TO

THE UNIVERSITY OF TORONTO

BY

THE UNIVERSITY OF STRASSBURG,

GERMANY.

JANUARY 10TH, 1891

Fot.
K763

SVCCESSIO
AB
INTESTATO CIVILIS
IN
SVAS CLASSES
NOVA METHODO
REDACTA
ET
VARIIS DISSERTATIONIBVS
ILLVSTRATA
A

D. IO. CHRISTOPH. KOCH
SER. HASS. LANDGR. A CONSIL. INTIM.
ACADEMIAE GIESSENSIS PROCANCELLARIO
ET IVR. PROF. PRIMAR.
COM. PAL. CAES.

Editio V. denuo aucta.

GIESSAE
IMPENSIS KRIEGERIANIS
1780.

12221
14/1/91

ILLVSTRISSIMO

ATQVE

EXCELLENTISSIMO

DOMINO

DN. FRIDERICO CAROLO

L. B. DE MOSER

SERENISSIMI HASSIAE LANDGRAVII

IN SENATV SANCTIORI

PRAESIDI ET CANCELLARIO

ORDINIS AVREI HASSORVM LEONIS EQVITI

LITTERARVM STATORI

LITTERATORVM MAECENATI

PATRONO SVO

INDVLGENTISSIMO

LIBELLVM HVNCCE ACADEMICVM

IN

PVBLICVM

SINCERISSIMAE VENERATIONIS

SVAE

EIVSQVE

NVNQVAM INTERMORITVRAE

MONVMENTVM

OFFERT.

D. IO. CHRISTOPH. KOCH

Praefationes

trium priorum editionum in epitomen redactae.

Omnia, quantum fieri potuit, ad principia reduxi genuina, & methodus, a me adhibita, huic doctrinae semper mihi visa est accommodatissima, luculentissimaque. IVSTINIANVS in *Nouella* 118. non egit *Doctorem*, sed *Legislatorem*. Tam cathedrae quam foro inseruire studui. Ideo quaestiones controuersas celebriores recensui cum variis ICtorum opinionibus, & vbique celebratissimos Doctores, & nullum quidem, quem non ipse euoluerim, allegaui. Succession feudalem, & aliam, quae iure regitur singulari, praetermisi, forsan alio tempore in singulari libello de iis acturus.

Duplex methodi huius, secundum quam hanc doctrinam proposui, dos est, vna, vt eo facilius & distinctius illam addiscamus: altera, vt solida & certa principia nobis praebeat in diiudicandis iis controuersiis, in quibus *doctissimi Viri*, *tres* solum *classes* agnoscentes, in vtramque partem vacillare solent. Methodus quoque mea *Virorum eruditissimorum* calculum tulit, & *Vir Illustris* mihique a longo iam tempore *amicissimus* IO. LVDOV. SCHMIDIVS in *Institutionibus iuris ciuilis* illam etiam imitari non dubitauit. Interim, si cui displiceat, illi suo gaudere sensu equidem non inuideo. Quae enim methodus omne vnquam tulit punctum? Ad *Palingenesiam* illam *Hommelianam* iam pridem a me sepultam quod attinet, haec quidem digna mihi non visa est, cuius denuo mentionem iniicerem. *Primae* editionis praefatio scripta est *Ienae* d. XXV. Febr. CIↃIↃCCLVII. *Secundae* editionis *Giessae* d. XIX. Sept. CIↃIↃCCLXVII. *Tertiae* editionis *Giessae* d. XIV. April. CIↃIↃCCLXXII.

Praefa-

Praefatio noua.

Quem Tibi L. B. admota vltima lima, denuo exhibeo libellum, ita adornatum esse atque instructum, nihil vt amplius desiderare iure possis, non est, quod Tibi pluribus affirmem. In hac *quarta* editione, *tertia* duplo auctiore, adeo nulli operae studio nulli peperci, specimina vt diligentiae vbique animaduertere queas. Inspicias quaeso, si tibi ita videtur, §. 12. *a*, §. 32. Schol. §. 35. *a & b*, §. 78. n. IV. Schol. pluraque alia, & res in aprico erit. Quam olim de successione liberorum *ex stupro violento* nutorum probaui sententiam, nunc mutaui, huiusque loco in §. 36. & 73. nouam, eamque omnino aequiorem, defendi. Haberi autem in nouis huius editionis dotibus vel maxime debent aliquot intricatissimarum materiarum tractationes peculiares quaestionumque controuersarum disquisitiones praestantiores, v. c. de *successorio edicto* §. 12. *b*, de *iis, qui viui quidem adhuc sunt, sed pro mortuis ciuiliter habentur* §. 20., item *casus plures*, vbi *fratrum proles*, licet *sola* sit *in capita* tamen non succedit §. 45., denique *dissertationes duae*, quae in *auctar.* I. & III. continentur.

Vnum restat, quod Lectorem scire mea interest. LVDOVICVS GODOFR. MADIHN V. C.

in opuſculo I. de *viciſſitudinibus ſubſtitutionis exemplaris eiusue vera indole.* Halae 1775. p. 60. not. m. haec profert: *Quamuis hos ordines* (deſcendentium, aſcendentium & collateralium) *ita collocauerit ipſe* IVSTINIANVS *Nou.* 118. *tamen perquam facile perſpiciet rerum intelligens, ſecundum methodi regulas quatuor eſſe ſtabiliendos, prouti expoſuit* FRATER (GEORG. SAM. MADIHN. V. C.) in Inſtit. iur. ciuil. *edit.* (NB.) 1764. & POSTEA -- ---. KOCHIVS Academiae nunc Gieſſenſis Vicecancellarius *in tract. de* ſucceſſione ab inteſtato *edit. tertia* Gieſſae 1772. ---- Miror MADIHNVM *iuniorem* haec tam confidenter ſcribere potuiſſe, fratris ſui conatibus aliquid nouae laudis conciliaturum: cum hanc doctrinam in *quatuor* claſſes ſ. ordines noua methodo redactam iam anno 1757. *Ienae* publicauerim, editioque hoc anno vulgata huius libelli *prima* ſit. Iudices Lector Beneuole, vtrum MADIHNVS *ſenior*, qui in allegato compendio *ſeptem* demum poſt annos eadem methodo vſus eſt, dux & auctor, cuius ego tantum veſtigia preſſerim, dici hic vel in ſpeciem poſſit? Vale Scribebam Gieſſae d. XXX. Mart. CIↃIↃCCLXXVI. In hac *quinta* editione iterum quaedam adieci, quaedam emendaui, praecipue in §. 9. ſchol. 2., §. 11. *b*, §. 32. ſchol. 2., §. 124. 125. 126. 128. Vale iterum. Scrib. Gieſſae d. XIII. Oct. CIↃIↃCCLXXVIIII.

SE-

SECTIO I.

GENERALIA CONTINENS

Scripta ad illuſtrandam & explicandam hanc doctrinam inſeruientia exhibent *Bibliotheca iuridica* LIPENIANA edit. *Lipſiae* 1757. fol. & illius *Supplementa* ab AVG. FRID. SCHOTTIO V.C. edita *Lipſiae* 1775. fol. ſub voc. *ſucceſſio ab inteſtato.*

A §. 1.

§. 1.

QVID SIT SVCCESSIO, DELATA ET ADQVISITA?

Succeſſio h. l. ſumitur pro *iure hereditario* ſ. *iure ſuccedendi in hereditatem*, quod eſt *ius hereditatem nobis propriam efficiendi omnesque alios ab eius adquiſitione excludendi.* Diſtinguendum ergo eſt inter *ius hereditarium* ſ. *ius ſuccedendi & ipſam hereditatem obiectiue ſpectatam, eiusque adquiſitionem.* Cui enim *ius hereditarium* ſ. *ſuccedendi* competit, is *ipſam hereditatem* non ſtatim indiſtincte vt *propriam* habet. Nam *hereditas obiectiue* ſpectata, vel *delata* dicitur vel *adquiſita.* Simulac ius ſuccedendi habeo, *delata* vocatur hereditas, eſtque intuitu mei *res iacens.* Si vero ipſa hereditas *propria* noſtra efficitur, *adquiſita* nominatur: quod vltimum vel *ipſo iure* vel *aditione* perficitur. Si *ipſo iure*, tunc vno eodemque momento hereditas *defertur & adquiritur*; quod in *ſuis heredibus* obtinet, quibus,

quibus, vt ait VLR. HVBERVS, 1) ipsa lege hereditas *datur* non *defertur*: ideoque nec hereditas *iacet*.

§. 2.

1) in *Prael.* ad *Inst.* lib. 2. tit. 13. §. 1.

Schol. I. Obiter hic noto, nomen *sui heredis* esse verbum *forense* ac *proprium* ICtorum, non *populare* aut *oratorium*. ICti Romani, cum *ex vsu iuris* peculiari loquuntur, verbum *suus* perpetuo praemittunt, & nunquam dicunt *heres suus*. vid. elegantem obseruationem ARNOLDI VINNII ad §. 2. I. de *hered. qual. & diff.* Sed recentiores ICti, etiam doctissimi, id negligunt, & promiscue *suus heres* & *heres suus* loquuntur: quamuis haud accurate fiat. *Sui* autem heredes dicuntur *liberi, qui in patria morientis potestate existentes proximum in eadem stirpe gradum obtinebant delatae hereditatis tempore, aut obtinuissent, si eo tempore editi fuissent.* *Sui* porro sunt vel ex proprio capite, e. g. *filii* aut per successionem in locum *suorum* e. g. *nepotes, pronepotes*. Qua vero illud ratione, vel in casu existentis, vel non existentis testamenti accipiendum sit, docent §. 2.

I. de *hered. qual. & differ* §. 7. I. de *heredit. quae ab inteſtato defer.* ANTONCONTIVS in *tr.* de *hereditat. & honor. poſſeſſ. quae ab inteſtato deferuntur.* In EIVS *Operibus* p. 292. ſeq. ARNOLD. VINNIVS in *Commentar. ad citt. §. §. Inſtit.* & GVIL. RANCHINVS in *tr.* de *ſucceſſ. ab inteſtato* c. III. §. 1. & c. I. §. 8. & c. XVIII. §. 1.

Schol. II. Dantur liberi, qui nec *ſui* ſunt, & ne quidem in poteſtate morientis exiſtunt, attamen iure *ſui heredis* in *ſucceſſione ab inteſtato* gaudent; vtputa liberi *imperfecte adoptati* l. *pen.* §. 1. C. de *adopt.* Igitur inter *ſuos heredes* & eos, qui iure *ſuorum heredum* in ſola ſucceſſione *legitima* vtuntur, diſtinguere nos oportet. ARNOLD. VINNIVS in *Commentar. ad Inſt.* lib. III. tit. 1. §. 14.

Schol III. Non deſunt quidem inter ICtos, qui ius praecipuum *ſuorum* heredum in adquiſitione hereditatis ad omnes *cognatos ab inteſtato* ſuccedentes in *Germania* extendere cupiunt; at minus recte hoc vniuerſaliter ſtatui, accuratiores Doctores notare ſolent ad *tit.* D. de *adq. vel omitt. hered.* Si lex *prouincialis* aut

ſtatu-

ſtatutaria illam erroneam ſententiam comprobauit, valeat, vbi valere poteſt.

§. 2.

QVOTVPLEX SVCCESSIO? ET QVID SVCCESSIO LEGITIMA?

Omnis quidem hereditas alicui *lege* obuenire dici poteſt, 1) quum, niſi *lex* teſtamenta & pacta rata validaque declarauerit, hereditas iis dari non potuerit, ideoque *ſucceſſio pactitia & teſtamentaria* recte vocari poteſt *legitima*, *legibus non aduerſa*, rechtmäſſig. Sed ſi propius rem conſideramus, hereditas nobis obuenit vel *pacto*, vel *teſtamento*, vel *immediate & proxime a lege ſola ſine vllo defuncti pacto.* Si *illud*, *ſucceſſio pactitia*; ſi *iſtud*, *teſtamentaria*; ſi *hoc ab inteſtato* ſ. *legitima in ſpecie*, geſetzliche, appellatur.

1) l. 130. D. de V. S.

Schol. Venit in quaeſtionem; vtrum *ſucceſſio legitima proprie ſic dicta* in vernacu-

la lingua reddenda sit per rechtmäſſige Erbfolge, an per geſezliche Erbfolge? Ego *posterius* defendi, quoniam omne id, *quod legibus consentaneum* est, & rechtmäſſig vocatur, cum eo, *quod immediate & proxime defertur ex lege sola*, & adaequate geſezlich nominatur, confundi non debet. Illius *latior*, huius *strictior* significatus est. Prouocabat Aduersarius ad *Spec. Saxon.* lib. 1. *art.* 23. vbi REPKOVIVS tutorem *legitimum* verterit den rechten Vormund. Sed *primo*, ita vertendum esset rechte Erbfolge, non vero rechtmäſſige. *Deinde*, non in omnibus Codicibus legitur *legitimus* tutor, sed in aliquibus *verus* tutor vid. *editiones* LOSSII. *Postremo Gloſſa* die rechten Vormünder in tres species diuidit, quarum primam vocat die Vormünder von Recht, i. e. tutores *legitimos*. Si quis rationem, cur *successio ab intestato* nomen *legitimae* accepit, quamque latius expoſuerunt HELLFR. HVNNIVS in *Var. resol.* lib. 3. tr. 1. qu. 1. VALENTIN. FORSTERVS in *tr.* de *successionibus* lib. 1. c. 17. ARNOLD. VINNIVS ad *pr.* I. de *hered. quae ab intest. defer.* recte perdidit, certiſſime mihi suffragabitur.

§. 3.

§. 3

QVOTVPLEX SVCCESSIO EX IVRE ROMANO.

Ius succedendi in *hereditatem* iure *Romano* vel aestimatur ex *iure ciuili*, vel ex *iure praetorio*, sub *bonorum possessionis* nomine. *Vtroque* iure hereditas defertur vel *ex testamento* vel *ab intestato*. Ergo successio vel est *testamentaria*, vel *ab intestato s. legitima*. vide tabulam A.

§. 4.

DE SVCCESSIONE PACTITIA SECVNDVM IVS ROMANVM.

Successionem, quae *ex pacto* venit, improbarunt *Romani*, ob fraudes heredipetarum frequentes & admixtum eiusmodi pacto captandae mortis votum: praeterquam si milites, in discrimen praelii pergentes, inuicem essent pacti, vt alter qui superuixisset, alterius, cui casus finem attulisset, bona haberet, 1) aut si de *tertii certi*, sed scientis, & in ista volun-

luntate perſeuerantis, hereditate pactum fieret. 2)

1) l. 19. C. de *pactis.*

2) l. *fin. C. eod.* CHRIST. THOMASIVS in *diſſ.* de *iniuſto iure heredipetarum* & in *diſſ.* de *captatoriis inſtitutionibus;* CORNELIVS *van* BYNKERSHOEK in *Opuſc.* op. 5. IOAN. TORRE *tr.* de *pactis futurae ſucceſſionis.* Geneuae 1699. fol. ANTON. CONTIVS in tr. de *pactis futurae ſucceſſionis*, in *Opp.* p. 220. ſeqq. & apud RIKIVM de *vnione prolium.* Col. 1598. 8.

§. 5.

SVCCESSIO EX VIRE CIVILI VETERI.

Succeſſionis Romanae ciuilis ab inteſtato alia ratio fuit ex iure *veteri*, alia ex iure *nouo.*

Iura *antiqua*, *cauſſam* ſucceſſionis in eo, quod quis ad familiam defuncti pertineret, collocantia, & omnes, qui non erant de *familia* defuncti, ſanguine licet cum ipſo iunctos,

ctos, excludentia, 1) non solum variis SCtis & legibus nouis specialibus temperata sunt, sed & illa *Praetor*, *aequitate naturali* motus, vario emendauit modo. 2)

1) CORNEL. *van* BYNKERSHOEK in *Obs. iur. rom.* lib. 2. c. 1. FRID. ESA. PVFENDORF in *Obs. iur. vniu.* T. II. obs. 192. §. 3.

2) vid. *tit.* I. de *bonor. possess.*

§. 6.

EX IVRE CIVILI NOVO.

Ius *ciuile nouum*, per quod successio *ab intestato* noua ratione moderata est, IVSTINIANVM auctorem habet, qui, in *Nouella* CXVIII. omnes ab intestato cognationum successiones ordinans, in *iure ciuili antiquo immutando* iisdem, quibus *Praetor* eodem *temperando & emendando*, vsus principiis, habita *solius iuris & proximitatis aequitatisque* ratione, repudiato *patriae potestatis* aut *familiae*

& *agnationis* nexu, ad vnam aliquam ſimplicem & *naturali iuri* conuenientem eas reuocauit formam, & cum *ſuis emancipatos*, cum *agnatis cognatos* ad ſucceſſionem promiſcue admiſit.

Interim IVSTINIANVS de conſtituendo *iure ſuccedendi* tantum ſollicitus, nihil de *modo*, illud vel *ipſo iure* vel per *additionem* adquirendi, ſanxit. Igitur quod, inter *ſuos* & *emancipatos* diſcrimen ſublatum eſſe, ante dictum eſt, id tantum de *iure ſuccedendi* accipi par eſt, cum etiam poſt Nouellam CXVIII. *ius ſui heredis* illibatum ſit, vt *ipſo iure* heres exiſtat: quae tamen *ſui heredis praerogatiua* cum *emancipatis* nullibi communicata legitur. 1)

1) ANDR. ALCIATVS in *Paradox.* III. 10. GEORG. LVDOV. BOEHMERVS in diſſ. de *diſcrimine ſuorum & emancipatorum in ſucceſſione inteſtati iure nouo ſublato.* Goetting. 1766. Diſſ. *Noſtra* de *liberis ſuis heredibus*

redibus ad probationem abſtentionis non obligatis §. 5.

Schol. Vacillat ergo communiter fere adoptata opinio, quaſi IVSTINIANVS in determinando ſucceſſionis ordine fundamentum ieciſſet nouum, vt ii nempe prae aliis ſuccedant, quos defunctus maxime amaſſe cenſendus ſit. Qua opinione ſibi primum placuit HVGO GROTIVS, a quo eam mutuauit VLRICVS HVBERVS, quem ſequutus HEINECCIVS aliique fere omnes. Sit ita, concedo, hoc eſſe fundamentum ſucceſſionis inteſtati *iuris naturae*, de qua HELMER. HERM. NATHAN. WILKENS *in diſſ. iur. natur.* de *ſucceſſione ab inteſtato*, Ienae 1754. commentatus eſt. Interim exinde colligi nequit, idem & eſſe a IVSTINIANO adoptatum. Ego certiſſime nec volam nec veſtigium ea de re in Nou. CXVIII. inuenio. Nec ea, quam HEINECCIVS in *Elem. iur. ciuil. ſec. ord. inſt.* §. 742. in rem ſuam traxit, Philoſophorum obſeruatio, illi ſententiae proderit multum, quin imo eandem deſtruet magis. Et quis vnquam concedet, ex ea conſequi, vt ſucceſſio *deſcendat*; ſi deſcendere non poſſit, *aſcendat*;

dat; si nec ascendere possit, *ad latus diuergat*. Ita HEINECCIVS, ita SCHAVMBVRGIVS. A veritate vterque abest longissime. Vera enim si haec essent, fratres *germani eorumue filii* cum *Ascendentibus* non essent ad successionem admittendi. Admisit tamen illos inuicem ad hereditatem IVSTINIANVS. Sane ergo illud a Philosophis petitum simile claudicat.

§. 7.

QVOTVPLEX SVCCESSIO IN GERMANIA.

In *Germania* triplicem habemus successionis rationem, nempe; vel *ex pacto*, vel *ex testamento*, vel *ex lege*. Germani enim successionem *pactitiam* nunquam improbarunt, potius ea contra irruens *ius Romanum* seruata & in viridi apud nos est obseruantia: nisi alicubi *legibus prouincialibus* valor pactorum successoriorum restrictus sit, e. g. in *Ordinat. Solmensi* & *Reformat. Francofurtana.* 1)

1) conf. HEINECCIVS, ENGAVIVS, PÜTTERVS, EISENHARTVS & de SELCHOW

CHOW in compendiis iuris *Germanici*, & praecipue V. C. ADAM. FRANCISCVS HEBESTREIT. in *Vindiciis veri valoris pactorum successoriorum tam iure Romano quam Germanico aduersus errores interpretum.* Erford. 1768. De casu l. vlt. C. de *pactis* speciatim disseruit TOB. IAC. REINHARTH in *diss.* de *pacto circa hereditatem tertii ignorantis certi bonis moribus non refragante adeoque tam iure naturae quam moribus Germanorum valido.* Erfurd. 1718.

§. 8.

VARIA CONDITIO SVCCESSIONIS LEGITIMAE IN GERMANIA.

Non vna est conditio successionis *legitimae* in *Germania:* quae differentia partim ex legum, partim ex obiecti varietate descendit. Adumbrare illam studuimus in tabula B. Igitur nihil reliquum est, quam vt hoc adiiciamus, nobis propositum esse, *successionem legitimam allodialem ciuilem in Germania communem*, enucleare, & ex *successionibus legitimis allo-*

dialibus ciuilibus particularibus ſ. prouincialibus, ſucceſſionis *Saxonicae*, vtpote inter prouinciales praecipuae, primas ſaltem lineas ducere.

§. 9.

INTESTATVS QVIS?

Succeſſioni *legitimae* ſ. *ab inteſtato* locus datur, ſi quis *inteſtatus* deceſſit. *Inteſtatus* autem, definiente IVSTINIANO, 1) decedit, *qui aut omnino teſtamentum non fecit, aut non iure fecit, aut id, quod fecerat, ruptum* 2) *irritumue factum eſt, aut ſi ex eo nemo heres extiterit. Similia* habet VLPIANVS. 3) Merito tamen ſecundum *ius Germanicum* primo loco excludendus quoque eſt caſus *pacti hereditarii validi.* Ceterum id per ſe patet, hereditatem adeſſe debere. Quodſi enim defuncti bona confiſcantur, tota quaeſtio de ſucceſſionis ſpecie fruſtranea eſt.

1) in *pr.* I. de *hered. quae ab int. defer.*

2) Intelligendum hoc eſt de teſtamento, per

ſui

ſui heredis *agnationem* aut teſtamenti *reuocationem*, rupto; non vero de teſtamento quod per conditum *poſterius* ruptum eſt: nam in *hoc caſu* omnino adhuc obtinet ſucceſſio *teſtamentaria*.

3) in I. 1. pr. D. de *ſuis & legit.*

Schol I. Vtrum teſtator, reſciſſo per *querelam inofficioſi* teſtamento, *inteſtatus* fiat, vt ſucceſſioni ab inteſtato locus detur? diſquiſiuimus in auctario, quod huic libro adiunximus, *primo*.

Schol. II. In *teſtamentaria* ſucceſſione etiamnum in *Germania* obtinet *regula* iuris *Romani: Paganus pro parte teſtatus & pro parte inteſtatus decedere nequit:* ideoque ſi vel vnicus heres in *re certa*, aut ex *portione* inſtitutus ſit, vel ex *pluribus* in *re certa* aut *ex portionibus* inſtitutis *vnus alterue* deficiat, *iuri accreſcendi* locus datur, nec *heres ab inteſtato* ad partem *vacantem* admittitur.

Aſt in *pactis hereditariis* illa *regula* non obtinet, nec in iis *iuri accreſcendi* locus eſt; ſed admittitur in *reliqua bona partemue* hereditatis *vacantem* heres *legitimus:* ſiue pactum de *certis* ſaltim rebus, aut de *parte* tantum hereditatis conceptum

sit, siue *plures totam* hereditatem aut ex *portionibus*, aut *nullis portionibus singulis heredibus* adscriptis, sibi stipulati sint; nisi in eo casu, quo *plures* sibi stipulantur hereditatem, *expresse* aut *tacite* declarauerint pacisentes, vt *deficientium stipulatorum* pars reliquis *accrescat*: quo pertinet casus, si *quilibet separatim integram* hereditatem sibi stipulatus fuerit. 1)

1) §. 4. I. de *inutil. stipul.* l. 110. D. de V. S. DVARENVS de *iure accresc.* lib. 1. c. 15. LAVTERBACH. in *Coll. th. pr.* lib. 30. §. 73. HARPPRECHT in *Tract. academ.* P. 2. p. 568. seq. HEIMBVRG. in *diss.* de *iure accrescendi* §. 100. seqq. I. H. BOEHMER in *diss.* de *success. hered. coniug. ex pact. dotal.* c. 2. §. 11.

§. 10.

DVPLEX QVAESTIO PRINCIPALIS IN SVCCESSIONE LEGITIMA.

In successione ab intestato duplex praecipue occurrere solet quaestio. Vna: *quis succedit?* Altera: *in quantum succedit?*

§. 11.

§. II.

QVO TEMPORE PROXIMITAS SPECTATVR.

Prior quaeſtio ex illo tempore decidenda eſt, quo proximitas ſpectatur. Quodnam autem ſit illud tempus, diſtinctione expediuit IVSTINIANVS, ſequenti ratione ſanciens: 1) *Proximus, ſiquidem nullo teſtamento facto quisquam deceſſerit, per hoc tempus requiritur, quo mortuus eſt is, cuius de hereditate quaeritur.* 2) *Quodſi facto teſtamento quisquam deceſſerit, per hoc tempus requiritur, quo certum eſſe coeperit, nullum ex teſtamento heredem extiturum: tunc enim proprie quisque inteſtatus deceſſiſſe intelligitur. Quod quidem aliquando longo tempore declaratur. In quo ſpatio temporis ſaepe accidit, vt, proximiore mortuo, proximus eſſe incipiat, qui moriente teſtatore non erat proximus.* 3)

1) in §. 6. I. de *legit. agnat. ſucceſſ.*

2) Excepto caſu l. 8. §. f. D. de *ſuis & leg. hered.*

hered. Scilicet, nisi sit intermedius aliquis, qui sequentem gradum remoretur: veluti filius posthumus, quo nato ceteris, qui sunt in sequenti gradu, defertur hereditas ab eo tempore, quo certum sit, posthumum non succedere.

3) add. §. 1. *eo tit.* & §. 7. I. de *hered. quae ab intestato defer.* RANCHINVS c. l. c. 1. §. 8. c. 18. §. 1.

Schol. Absentium (der Verschollenen) successio vtrum fiat ex *nunc*, an ex *tunc?* disputauimus in auctario *secundo*, huic libello adiecto.

§. 11. *b.*

QVO TEMPORE HERES LEGITIMVS CAPAX ESSE DEBEAT HEREDITATIS? AGITVR ETIAM DE POSTHVMIS.

Praeter proximitatem & *capacitas* heredis requiritur: de qua tamen frustra consulis FORSTERI, RANCHINI, STRYKII aliorumque libros. Ex sententia quidem VINNII 1) in *successione ab intestato* de *capacitate*

heredum *diuerſis temporibus* ſpectanda disputari non poteſt; cum nemo ad ſucceſſionem ab inteſtato vocetur, qui non ſit capax *tempore mortis* eius, de cuius hereditate agitur. Aſt, me iudice, ſecundum *analogiam iuris* dicendum eſt, in eo caſu, quo quis inteſtatus deceſſit nullo facto teſtamento, (quod tunc quoque intelligitur, cum aut iure non fecit, aut quod fecit, ipſo adhuc viuo euerſum eſt) tempore *mortis* & ab hoc vsque ad *additionem*, *capacitatem* heredis neceſſariam eſſe: 1) niſi *ſuus* heres ſit, cui in hoc caſu *ipſo iure* ſtatim a momento mortis hereditas datur & adquiritur: (§. 1.) In eo vero caſu, cum quis facto iure teſtamento, quod demum poſt mortem eius deſtituitur, inteſtatus deceſſit, heredis *legitimi capacitatem* tempore *mortis* & illo tempore, *quo certum eſſe coepit*, *nullum ex teſtamento heredem extiturum*, & ab hoc vltimo tempore vsque ad *additionem* (niſi iterum

ſunt

ſuus heres ſit, vtpote in cuius perſona *duo* tantum *priora* tempora hoc caſu ſpectantur,) deſiderari. 2) Neceſſe quoque eſt, vt is, qui *legitimam* hereditatem ambit, tempore *mortis* eius, de cuius hereditate quaeritur, iam in rebus humanis fuerit, aut ſaltem viuo eo conceptus. 3) Quae obſeruatio non ſolum in *deſcendentibus*, ſed etiam in *collateralibus cognatis* vſum praebet inſignem.

1) in *Commentar. Inſtit.* ad §. 4. de *hered. qual. & different.* n. 1.

2) arg. §. 6. I. de *legit. agnat. ſucceſſ.* §. 4. I. de *hered. qual.* & *diff.* l. 49. §. 1. D. de *hered. Inſt.* & quae in ſucceſſione *teſtamentaria* docent HVBERVS ad *Inſtit* tit. de hered. qual. & differ. §. 2. & VINNIVS ad *cit.* §. 4.

3) §. 8. I. de *hered. quae ab int. defer.* ibique VINNIVS, l. 6. D. de *ſuis & legitim. hered.* l. 6. pr. D. de *iniuſto rupt. irrit. teſtam.* l. 1. §. 8. D. *vnde cognati.* FORSTER *cit.*

cit. tract. lib. 4. c. 14. n. 4. Dissentit in eo casu, si quis facto iure testamento, quod postea destituitur, intestatus decessit, MATTHAEVS de *succeff.* disp. 14. th. 3. VOETIVS ad *Pandectas* lib. 38. post tit. 17. § 7. conf. STRYKIVS *cit. tr.* diss. 1. c. 2. §. 21.

§. 12.

IVS REPRAESENTATIONIS.

Ius repraesentationis in successione est *priuilegium, vi cuius aliquis defuncti parentis locum in successione subit.* Is ergo, qui ex iure repraesentationis ad successionem admittitur, eam partem accipit, quam defunctus eius parens, si adhuc in viuis esset, fecisset. Ceterum regulas nota:

I. *Is, qui ex iure repraesentationis succedere vult, eius eorumue, cuius quorumue locum subire cupit, hereditatis* plene *capax* † *esse debet.* (§. 20. n. 1. 69.)

II.

II. *Viuus*, niſi a lege aliquando pro mortuo habeatur, (§. 20. IV.) *in ſucceſſione ab inteſtato repraeſentari nequit.* Vſum haec regula praebet in caſu *repudiationis*, vide §. 78. & §. 102. n. IV. ſchol. & §. 95.

III. *Ius repraeſentationis in ſucceſſione non comparatum eſt ad* excludendos *alios*, *in pari quidem gradu*, *ſed in* ſequenti ordine, *conſtitutos*, *ideoque* iure ordinis *iam excluſos*; *ſed ius repraeſentationis eum in finem datur*, *vt quis* concurrat *cum aliis in eodem quidem ordine conſtitutis*, *verum genere aut gradu* proximioribus. Vſum huius regulae oſtendam in §. 78. n. 7. ſchol. I. & §. 95. ſchol.

† *Succeſſionis ab inteſtato plene capax* dicitur is, qui ad certam quandam claſſem vocatus, ſi ſolus in ea inuenitur, totam hereditatem capit, ſi vero cum pluribus concurrit, ſecundum *regulas generales* partem

tem facit. Ex quo intelligitur, quis *plene capax non sit*, e. g. liberi *naturales* & *spurii*, ratione *sextantis* ex *paterna* hereditate ipsis debiti, imo *coniux pauper* ex *Nou.* 53. ad hereditatem cum defuncti *locupletis* coniugis *cognatis* admissus.

1) IO. CHRISTOPH. HEROLDT *tr.* de *iure repraesentationis & transpositionis.* Hal. 1669. 4. IOAN. a SOMEREN *tr.* de *repraesentatione.* Col. 1712. 8.

§. 13.

QVID SVCCESSIO IN CAPITA, IN STIRPES, IN LINEAS.

In capita succeditur, si secundum numerum personarum succedentium hereditas diuiditur.

In stirpes succeditur, si vnus aut plures ex iure repraesentationis in successione concurrunt, iique partem parentis defuncti accipiunt. (§. 12.)

In lineas s. *in genera* succeditur, si inter ascendentes defuncti hereditas ita diuiditur, vt vna dimidia lineae

neae *paternae*, altera dimidia *maternae*, ſine reſpectu numeri aſcendentium in hac illaue linea adhuc viuentium, cedat.

§. 14.

SECVNDVM QVAS LEGES IN COLLISIONE SVCCEDATVR.

Succeſſio ab inteſtato in *omnibus Germaniae* prouinciis non *eodem* regitur iure. Duplex itaque quaeſtio non infrequenter moueri ſolet. *Prima: Si iura, quae circa ſucceſſiones in foro domicilii defuncti obtinent, a iuribus fori rei ſitae differunt, iuxta quaenam ſucceditur?* In eo quidem omnes conueniunt, ſucceſſionem in *mobilia* bona aeſtimandam eſſe ex foro *domicilii*. 1) Quoad *immobilia* vero alii ſucceſſionem ex legibus *domicilii* defuncti, vti in *mobilibus*; alii vero ex legibus fori *rei ſitae*, ordinandam eſſe autumant. 2) Rem hanc ſolide tractauit FRID. ESAIAS PVFFENDORFIVS. Nec, quamuis poſterior ſen-

ſententia plurimorum aſſenſu ſuffulta ſit, cum *Viro illuſtri priorem* ſententiam amplecti haeſito, niſi, vt ipſe PVFFENDORFIVS excipit, in loco, vbi ſita bona ſunt, ſtatutum *prohibitorium* adſit, quod de bonis aliter disponi, vel teſtamenti faciendi facultatem neget. 4) Ceterum vxori ſuccediturex iuribus domicilii mariti, ſaluo tamen priori ſententiarum diuortio quoad bona immobilia. 5)

Altera quaeſtio eſt: *Vtrum priuilegiatae ſeu exemtae perſonae* e. g. *clerico, iuxta ſtatuta loci, in quo habitauit defunctus, ſuccedatur?* Si clericus, vti in variis locis obtinet, iurisdictioni magiſtratus oppidani in ciuilibus paret, aiens reſponſio parum difficultatis habet.

Si vero ab hoc caſu discedimus, magnam deprehendimus opinionum diſcrepantiam. Alii enim, nullo bonorum diſcrimine habito, eam affirmant. 7) Alii *ſimpliciter* negant, &

ſucceſſionem vel ex iure *prouinciali*, vel, ſi nec huic ſubiectus fuerit defunctus, ex iure *communi*, tam in *mobilibus*, quam *immobilibus* ordinandam eſſe cenſent. 8) Alii, quorum opinio in foro recepta eſt, inter bona *mobilia* & *immobilia* diſtinguunt, & in *haec* ex *ſtatutis loci* ſuccedi, licet defunctus fuerit exemta perſona, non vero in illa; ſed *eorum* intuitu leges *prouinciales* vel *communes* ſpectandas eſſe, aiunt. 9) Alii huic *poſteriori* ſententiae tunc ſubſcribunt, ſi clericus in *aedibus* a iurisdictione magiſtratus ciuici *exemtis* habitauerit. Quodſi vero in aedibus, iurisdictioni magiſtratus ciuici ſubiectis habitauerit, ſucceſſionem etiam in *mobilia* ex ſtatutis loci fieri debere ſibi perſuadent. 10) Alii tunc ſucceſſionem in *mobilia* ex ſtatutis loci ordinandam eſſe credunt, ſi exemta perſona *ius ciuitatis* adquiſiuerit. 11) Quod tamen non admittit SAMVEL. STRYK. 12) *Ordo noſter* anno 1766. in lite, quae inter

inter Viduam Superintendentis generalis & Consiliarii consistorii supremi Isenacensis, NICKII, & huius cognatos, de successione in bona defuncti NICKII *mobilia*, (nam *immobilia* deerant) gerebatur, illam in sententiam pronuntiauit, quod successio ex *statutis Isenacensibus* non obtineat. Nec quidquam nos mouit *ius ciuitatis Jenacensis* paullo ante obitum a defuncto NICKIO adquisitum. Tales enim personae exemtae, illustri dignitate conspicuae, ius ciuitatis tantum adquirere solent ad certos effectus e. g. vt bona immobilia ciuica adquirere & possidere queant. Quod proinde ad alios effectus produci haud debet. 13)

Quoad Professores & reliquos ciues academicos consulenda sunt academiarum statuta & obseruantiae, de quibus nonnulla profert RICCIVS. 14) In *nostra Academia* Professoribus & ciuibus academicis ex *sta-*

tutis ciuitatis Gieſſenſis neque in *mobilia*, neque in *immobilia* bona ſucceditur; prouti contradicto iudicio nouiſſime in cauſſa Viduae b. Superintendentis & Profeſſoris theologiae LIEBKNECHTI, & liberorum eius prioris thori, obtentum & a *ſummo appellationum tribunali*, quod *Darmſtadii* eſt, iudicatum eſt.

1) HERTIVS in *Reſponſis* CCLX. 3. CCCXXIII. 1. CCCXXVIII. 9. BERGER P. I. *Reſp.* p. 347. WERNHER T. I. P. 4. *obſ.* 142. P. 3. *obſ.* 237. SANDE in *Deciſ.* lib. 4. tit. 8. *def.* 7.

2) BARTH. *diſſenſu* 661. ſeqq.

3) in *Obſ. iur. vniuerſ.* T. I. Obſ. 28.

4) adde GODOFR. LVD. MENCKEN in *Opuſc.* p. 201. ſeqq.

5) WERNHER T. III. P. 2. obſ. 432.

6) CHRISTIAN. GOTTLIEB. RICCIVS in dem Entwurf von Stadtgeſetzen, S. 496.

7) CARPZOV. in Iurispr. Conſiſt. lib. 3. tit. 1. def. 8. WERNHER. T. I. P. 4. Obſ. 142.

TRAV.

TRAVGOTT THOMASIVS an *Clerico secundum statuta loci, vbi degit, succedatur?* Lipsiae 1736.

8) SCHILTER in *Inst. iur. can.* lib. 1. tit. 18. §. 17. & FLOERCKE in *notis* ad h. l. BOEHMER in I. E. P. lib. 3. tit. 27. §. 15 16. PVFENDORF T. I. obs. 27. HOMMEL in *Rhapsod.* 115.

9) STRYK in *tr.* de *collisione legum* S. 4. c. 4. §. 34. LAVTERBACH in *diss.* de *domicilio* c. 8. §. 58.

10) CHRISTIAN. GOTTLIEB. RICCIVS in dem Entwurf von Stadtgesetzen S. 4. 89. u. f.

11) LEYSER Sp. 79. m. 4. WERNHER T. I. P. 4. obs. 142.

12) in *diss.* de *foro ministr. principis* c. 2. §. 12. seqq. RICCIVS a. a. S. 482.

13) BOEHMERVS in *Cons.* & *Decis.* T. III. P. 1. resp. 17. n. 16. seq. IDEM in *Intr. ad Dig.* tit. *ad municip.* §. 4.

14) a. a. O S. 498. u. f.

§. 15.

SECVNDVM QVAENAM IVRA VAGABVNDO SVCCEDAIVR.

Si Vagabundus, qui ſcil. *proprium* domicilium ſibi non conſtituit, moritur, dubium non eſt, quod ipſi ex iuribus fori *originis* ſuccedatur. 1) Si vero nec forum *originis* haberet, aut id incertum eſſet, tunc ſane ipſi ſuccedendum eſſe ex legibus loci, *vbi mortuus eſt*, haud temere arbitror, & de hoc caſu intelligo STRVVIVM. 2)

1) STRYK de *ſucceſſione ab inteſtato* diſſ. 1. c. 4. §. 6. CARPZOV. lib. 6. reſp. 40. HERTIVS de *colliſ. leg.* S. 4. §. 26. WERNHER T. I. P. 3. *obſ.* 237.

2) Ex. 38. th. 44.

§. 16.

SVCCESSIO AB INTESTATO DVPLEX.

Succeſſio *ab inteſtato*, quatenus *iure Romano nouo* obtinet, generatim *bipartita* eſt. Vel enim fundamentum ſuc-

ſucceſſionis lex ponit in *cognatione*, vel *in alia ciuili cauſa*. Prior *ordinaria*, poſterior *extraordinaria* ſ. *ſubſidiaria* dici poteſt, & illa hanc *regulariter* excludit. *Affinium, qua talium*, nulla eſt ſucceſſio. 1)

1) l. 7. C. *comm. de ſucceſſ.* niſi in caſu l. f. C. de V. S. WERNHER T. II. P. 10. obſ. 389.

SECTIO II.

DE SVCCESSIONE AB INTESTATO COGNATORVM EX NOV. CXVIII.

§. 17.

COGNATORVM GENERA.

Cognati, voce *largius* accepta, dicuntur ii, inter quos nexus eſt ortus ex generatione. Proinde, prout vel continuo a ſe inuicem; vel ab eadem perſona, non vero a ſe inuicem, per generationem deſcendunt aut deſcendere finguntur, ſunt vel *deſcendentes*, vel *aſcendentes*, vel *collaterales*. Generatio vel eſt *vera & naturalis*, vel *ficta*. *Haec* iterum vel *ſpiritualis*, vel *ciuilis*.

Omnes ergo *cognati*, tam deſcendentes, quam aſcendentes & collaterales, ſunt vel *veri & naturales*, vel *ſpirituales*, vel *ciuiles*. Cognati *veri* ſunt

ſunt vel *legitime nati*, vel *illegitime nati*. Hi vel *legitimati* vel *adhuc illegitimi*. *Legitimati* vel tales per *ſubſequens matrimonium*, vel *per reſcriptum principis*, & quidem vel *plene*, vel *minus plene*. *Adhuc illegitimi* vel *naturales*, ex concubina ſcil. nati, vel *ſpurii*, vel *vulgo quaeſiti*, vel *adulterini*, vel *inceſtuoſi*: qui *duo poſteriores* ſpeciatim ex *damnato coitu* nati dicuntur, quibus ob nominis affinitatem addendi ſunt: nati ex *ſtupro violento & nec violento nec voluntario*, nati quoque ex *bigamia*. *Cognati veri collaterales*, ſpeciatim fratres ſororesque, ſunt vel *germani* ſ. *bilaterales*, vel *vnilaterales*. Hi vel *conſanguinei* vel *vterini*. *Cognati ficti ciuiles* ſunt vel *adoptiui* vel *arrogati*; *illi* vel *perfecte* vel *imperfecte tales*, Definitiones horum terminorum, aliunde iam ſatis notorum, hoc loco ſtudio omiſi. Notiones, quas notare operae pretium erit, in ſequentibus adiiciam. *Religionis*, in impe-

rio noſtro *adprobatae diuerſitas* in ſucceſſione ab inteſtato non attenditur.

Schol. Cognatorum nomen non tantum generale eſt, ſed etiam ſpeciale, *Generaliter* ſumtum complectitur *liberos* etiam *ſuos*, *parentes*, & ex *latere* coniunctos. *Specialiter* aliquando denotat eos, qui ſanguine quidem ſunt iuncti, ſed *agnationis* iura, quae *ciuilia* ſunt, non participant: quo pertinent etiam per perſonas virilis ſexus cognatione coniuncti, ſed qui per capitis deminutionem iura agnationis amiſerunt. His opponuntur agnati, qui iura *agnationis* ciuilia participant. Aliquando *cognati* dicuntur, qui per *feminei* ſexus perſonas: *agnati* vero, qui per *virilis* ſexus perſonas cognatione coniuncti ſunt. *Conſanguinei in genere* vocantur, qui ſanguine inter ſe ſunt iuncti. Specialiter *conſanguinei* dicuntur fratres & ſorores, ex eodem patre nati. Nomina cognatorum ſpecialia propinantur in *tit.* I. de *gradibus cognatorum* & in *tit.* D. de *gradibus & adfinibus & nominibus eorum. Stipitis communis*, *cognatorum duplicium* & *ſimplicium*, cognatorum collateralium *bilateralium* & *vnilate-*

lateralium notiones exhibuimus in auctario *tertio*, huic libello adiecto.

§. 18.

CLASSES COGNATORVM CONSTITVENDAE.

Ius succeſſionis ab inteſtato inter cognatos methodo naturali & luculenta *docturo* incumbit, certas cognatorum *claſſes*, *ordines* etiam vocamus, conſtituere: quae non ſolum diffuſam hanc doctrinam faciliorem reddunt, ſed etiam memoriam apprime iuuant.

§. 19.

QVOT CLASSES SECVNDVM NOV. CXVIII? QVOT SECVNDVM IVS SAXONICVM?

Omnes cognati, iuxta ordinem, quem in ſucceſſione ab inteſtato ex Nouella CXVIII. tenent, in *quatuor claſſes* ſ. *ordines* redigi poſſunt & debent. Claſſes vero ſunt hae:

I. Deſcendentium.

II. Aſcendentium propiorum, fratrum ſororumue bilateralium ſuper-

ſuperſtitum, &, horum harumue praemortuorum praemortuarumue, filiorum filiarumue.

III. Fratrum ſororumue vnilateralium ſuperſtitum, &, horum harumue praemortuorum praemortuarumque, filiorum filiarumue.

IV. Cognatorum reliquorum collateralium propiorum.

In oratione ligata ſic ſonant:

I. Deſcendens omnis ſuccedit in ordine primo.

II. Aſcendens propior, germanus, filius eius.

III. Tunc latere ex vno frater, quoque filius eius.

IV. Denique proximior reliquorum quisque ſuperſtes.

Alia ratio eſt harum claſſium ex *iure Saxonico*. Hoc enim iure *tres* conſtituendae ſunt claſſes, nempe:

I. De-

I. Descendentium

II. Ascendentium

III. Collateralium

Schol. Exinde clarissime elucet, falli eos, qui secundum *ius Nouellarum tres* tantum supponunt classes, atque se anxie torquent, vt diuersos casus loco idoneo explicare queant. Inde accidit; vt de fratrum sororumque bilateralium successione duplici loco, scil. tam in classe ascendentium, quam collateralium, agant. Error hic natus est ex capitibus *Nou.* 118. & propagatus per ius *Saxonicum*, quod tamen omnino separandum est a iure *Nouellarum*.

§. 20.

PRINCIPIA CIRCA HAS CLASSES.

Generatim quoad has classes probe obseruandae sunt hae regulae:

I. Quaelibet classis, prout ordine se excipiunt, excludit sequentem, ita vt, quamdiu persona, successionis ab intestato *plene capax*, licet vnica, in praecedente

dente classe existit, successio non deuoluatur ad alteram classem: quamuis persona sequentis classis sit gradu proximior aut aequalis. *a*).

II. Cognati in eadem classe *nominatim & coniunctim* ad successionem vocati non gaudent iure exclusionis inter se, sed omnes simul admittuntur, nulla gradus proximitatis habita ratione. *b*).

III. Cognatum *duplicem*, siue *descendentem*, siue *ascendentem*, siue *collateralem*, qui ex duplici cognationis qualitate in praesenti successione concurrere potest, *duplicem* quoque portionem capere, vulgo statuunt. Latius de hoc themate a nobis actum est in auctario *tertio*, huic libello adiecto.

IV. Cognatus, *legitima* ad successionem cognatione defuncto coniun-

iunctus, quemque ordo ſucceſſionis, quoniam in viuis adhuc eſt, iam tangit, quoad ſucceſſionem aliquando vel *omnino* pro *mortuo ciuiliter* habetur, vel *non omnino.*

Si *omnino* pro *mortuo ciuiliter* habetur, tum *vere & naturaliter mortuo* hactenus plane ſimilis eſt; ideoque pro diuerſitate caſuum vel ordo, vel gradus ſequens, ad ſucceſſionem admittitur; vel eiusdem gradus ordinisque coheredibus portio eius accreſcit.

Si vero quoad ſucceſſionem *non omnino* pro *ciuiliter mortuo* habetur, ſed alius adeſt, qui ex illius perſona ſucceſſionis commodo fruitur, tum nec ſequentes ordine graduue ad hereditatem vocantur, nec coheredes iure accreſcendi gaudent, ſed ad totam hereditatem, vel partem illius, admittitur is, qui

ex perſona eius, qui *non omnino* pro *ciuiliter mortuo* habetur, ſucceſſionis commodo fruitur. *c*)

a) *Schol.* 1. Sic *nepos* ſuccedit *auo*, excluſo *proauo*. *Fratris germani filius fratrem unilateralem*, *& fratris unilateralis filius patruum defuncti* excludit *iure ordinis* ſ. *claſſis*, nulla gradus proximitatis aut aequalitatis ratione habita.

b) *Schol.* 2. Itaque *iure Nouellarum aſcendentes* non excludunt *fratres ſororesque bilaterales*, aut horum harumue *filios filiasue*, nec *fratres ſororesue bilaterales* excludunt defunctorum *fratrum ſororumue bilateralium filios filiasue*.

c) *Schol.* 3. *Omnino* pro *mortuo* habetur, qui *deportatus* eſt, l. 1. § 8. D. de B. P. *contra tabulas* Cui ſimilis hodie habetur in *bannum imperii* declaratus, aut *fuſtibus caeſus* in *perpetuum* ex *prouincia relegatus*; ſi, poſteriore caſu, relegato hereditas ex *illa prouincia* defertur Extendunt id quoque ad eum, qui *in perpetuum ad triremes* coudemnatus eſt; quod admitto, ſi patrium ſolum vertere debuit & v. c. ex *Germania* ad *Gallos* miſ-

ſus

sus est. GODOFR. STRAVSSII *diss.* de *ciuiliter mortuis* Viteb. 1691.

Pro *omnino* etiam *mortuo* habendus is, qui ad religionem in *imperio nostro*, *aut* in *prouincia* illa, vbi hereditas iacet, non receptam, vel cum iuris ciuilis pleno vsu non toleratam transiit. e. g. si cognatus proximus, eiurata *christiana* religione, *muhammedanam* amplexus esset religionem, aut *iudaicam*.

Pro *omnino ciuiliter mortuo* habetur etiam *monachus professus*, talem *ordinem religiosum* ingressus, qui successionis hereditariae est incapax. Qualis est *ordo Fratrum minorum de obseruantia* & *Capucinorum*.

Non omnino autem *ciuiliter mortuus* in successionis materia reputatur *monachus*, tali *ordini religioso* adscriptus, qui *successionis capax* est.

Quamuis enim *ipse monachus*, propter votum paupertatis, non sit hereditatis eo effectu capax, vt illam *sibi* adquirat; monasterium tamen, quod ingressus est, quodque bonorum capax existit, hereditatem *monacho* delatam adquirit ex persona *monachi*, eodem iure, ac si hic in

 seculo,

seculo, vt loquuntur, manssisset; eundem fere in modum, dicunt Canonistae, quo *serui* heredes instituti, capaces sunt hereditatis ex persona *domini*; sicut enim hi adquirebant domino, ita *monachi* hereditatem, siue ex testamento, siue ab intestato, adquirunt *monasterio*, successionis puta, vt antea dictum est, *capaci*. conf. praeter *Canonistas* ad *tit. X de succeff. ab intest.* CASPAR. MANZIVS in *Commentar.* in *Instit.* lib. III. tit. 1. §. 1. n. 23.

Ceterum, quae de *monacho* dixi, intelligas velim de eo, qui adhuc monachus est, dum ipsi hereditas defertur. Nam si *monachus* ad sacra *Protestantium* transiit, & *nunc demum* ipsi hereditas defertur, neque monasterium, neque, si illud successionis incapax est, cognati coheredes, neque cognati gradus sequentis, hereditatem, eiusue partem, sine manifesta iniuria sibi vindicare queunt; sed hereditas, eiusue pars, ad ipsum, cui immediate defertur, heredem pertinet, qui, amplissima in *Pace Westphalica* concessa facultate & libertate vsus, monachi qualitatem exuit, & successionis in futurum nunc iterum capax redditus est. Dolendum tamen est, Catholicos,

licos, casu eueniente, in contrariam, vt in eiusmodi quaestionibus euenire solet, abire sententiam, monasteriis ipsorum valde quidem proficuam, sed oppido & manifesto fallam. Neminem in *Germania* fingit *casus Gerstlacherianus*, quem *Corpus Euangelicorum* ad iustum & felicem exitum demum perducere tentauit. Scripta quae in hac materia prodierunt. recenset FRID. AVG. SCHOTT V. C. in *Supplem. bibl. Lipen.* sub voc. *apostasia* & *religiosi*. Nouissimum scriptum est CAROLI FRID. SEEGERI *diss.* de *hereditate religioso post mutationem religionis delata* sub Praesidio DOD. DAN. HOFFMANNI defensa Tuhing. 1775. cui *perillustris Praeses* eruditissimam, de eadem materia *epistolam* subiunxit.

CLASSIS PRIMA.

DESCENDENTIVM.

§. 21.

NON ATTENDITVR SEXVS ET SVITAS.

Descendentes ad primam classem pertinent, nulla, inter *masculos* & *feminas*, *suos* & *emancipatos*, (vide tamen §. 7.) admissa differentia.

§. 22.

DE IVRE REPRAESENTATIONIS IN HAC CLASSE.

Ius repraesentationis (§. 12.) in hac classe, nisi *expressa* dispositio in casu *speciali* obstet, (§. 32.) aut *maculosa* natiuitas impediat, in infinitum obtinet. 1). Ideoque datur, attamen in hac sola descendentium successione, *repraesentatio repraesentationis*. 2)

1) §. *fin.* I. de *hered. quae ab intest. deferuntur.* HVNNIVS in *Resol.* lib. 3. tr. 1. qu. 6.

2) STRYK

2) STRYK c. l. diff. 1. c. 2. §. 33. seq. DOLES *diff.* de *iure repraesentationis in succeff. descend. exule.* Lipf. 1778.

§. 23.

VTRVM IN CAPITA, AN STIRPES SVCCEDATVR?

Descendentes *primi gradus* succedunt in *capita*, *vlteriorum* vero *graduum* in *ſtirpes:* ſiue *hi ſoli* ſint, ſiue cum descendentibus *primi gradus* concurrant. 1) (conf. auctarium *quartum*, vbi de succeſſione *nepotum* vberius disputauimus.)

1) COCCEII in diff. de *ſucceff. nepot.* ſ. 1. §. 8. 9.

§. 24.

DESCENDENTES VEL EX VNO MATRIMONIO, VEL EX PLVRIBVS ADSVNT, VBI ET DE POENIS SECVNDARVM NVPTIARVM.

Descendentes, in succeſſione concurrentes, ſunt vel ex *eodem* nati matrimonio, vel ex *diuerſis*. *Si illud*, *vtrique* parenti succedunt *communiter*. Si *hoc*, vel *vnio prolium* inita eſt, vel non. Si *prius*, here-

ditates ſecundum *pactum vnionis prolium* diuidendae ſunt. *Si poſterius, communi* parenti *communiter, proprio* vero parenti ſeparatim ſinguti ſuccedunt, ſecundum regulas, quae ſequuntur. Quo igitur caſu ſeparatio bonorum inſtituenda eſt.

Notandum etiam eſt, quod ea, quae parens *communis* binubus binubaue ex bonis defuncti coniugis erat aſſecutus, *ſolis* liberis *prioris* thori *inter ſe* diuidenda maneant: vtpote in quibus parens ob *ſecundas* nuptias initas, amiſſa proprietate, *vſumfructum* tantum retinuit ad dies vitae, ex regulis generalibus *ſimplicis vſusfructus* aeſtimandum. 1) *Sola* tamen *ſponſalia* inita hunc effectum non habent. 2) Haec igitur bona liberi *prioris* thori non tanquam parentis binubi binubaeue *heredes* iure ſucceſſionis capiunt, ſed tanquam *domini* ex iure conſolidationis ſibi retinent. 3) Idem locum habet quoad eam partem, quae ad parentum binubum binubamue filio

filiaeue

filiaeue prioris thori cum huius fratribus ſororibusue *ab inteſtato* (non e- *teſtamento*) ſuccedentem, ex *paterna maternaue* ſubſtantia peruenit, 4) ne *legitima* quidem excepta. 5) Putat quidem WERNHERVS, 6) has ſanctiones reſtringendas eſſe ad ſolam *matrem* binubam; & *ſpeciatim* de *illa*, non de *patre*, intelligendam eſſe diſpoſitionem in Nou. 22. c. 46., cenſet FACHINEVS: 7) & ita obtinet in *Haſſia Caſſellana* vi ſpecialis conſtitutionis. 8) Sed verius eſt, nullum inter *matrem & patrem*, quoad has ſanctiones, admittendum eſſe diſcrimen; 9) ne quidem in caſu Nou. 22. c. 46. 10) Saltem *praxis* ita ſeruat, & *Ordo noſter* aliquoties ita pronuntiauit.

Tendunt illae diſpoſitiones in fauorem *deſcendentium* ex priori matrimonio, nec ad *ſolos filios filiasue* reſtringi debent. 11) Hoc interim expeditum eſt: liberis *omnibus prioris* thori, *viuo* binubo patre vel matre,

praemorientibus, vtramque illam poenam ceſſare, & hoc eueniente caſu proprietatem cum vſufructu iterum conſolidari, ratasque etiam manere alienationes, viuis prioris matrimonii liberis, factas: non enim proprietatem bonorum ita amittit parens binubus, vt ſtatim recta via ad liberos prioris matrimonii transeat, & his *pure* & irreuocabiliter ſit adquiſita; ſed potius huius poenae perſecutio ex conditione incerta ſuſpenſa eſt, ſi nempe liberi parenti binubo ſuperſtites ſint; facultate alienandi parenti *binubo* interim ademta. 12) In eandem ſententiam *Ordo noſter* repetita vice iuit.

In eiusmodi vero caſu & liberi *poſterioris* matrimonii, licet parens defunctus ad aliud matrimonium iterum non conuolauerit, *lucra nuptialia* quae ex parentis ſui bonis apud parentem defunctum *communem* exiſtunt, praecipua quoque habent. †

Denique

Denique nonnulli opinantur, *Pontificem* in c. 4. & 5. X. de *sec. nupt.* poenas iuris *Romani* in secundas nuptias statutas *omnes & singulas* abrogasse. 13) Sed falluntur. Distinguendum scilicet est, inter poenas, quas ius *Rom.* in nuptias secundas *festinatas* seu intra *annum luctus* initas statuit in l. 1. 2. C. de *sec. nupt.* Nou, 22. c. 22. c. 22. & eas sic dictas poenas, quae in casum nuptiarum secundarum *non festinatarum* in fauorem liberorum *prioris matrimonii* constitutae sunt in l. 3. C. de *secund. nupt.* & NOV. 22. c. 46. *Illas Ius canonicum* sustulit; non *has:* vti *recentiorum Canonistarum* vnanimis fere est sententia. 14) Saltim in *Germania*, nisi statutum aut obseruantia contraria alicubi exstet, ea, quae in l. 3. C. de *sec. nupt.* & NOV. 22. c. 46. continentur, vsu seruantur quotidiano, vti *Scriptores pragmatici* testantur. 15) *Ordo* etiam *noster* in hanc sententiam nouissime iterum respondit.

1) SOMEREN in *tr.* de *iure nouerc.* c. 13. §. 16. DECIS. CASSEL. T. I. dec. 110. n. 18.

2) BOEHMER de *diuerso iure matrim. & sponsi.* c. 3. §. 31.

3) l. 3. C. de *secund. nupt.* NOV. 22. c. 23. & 46. LEYSER sp. 300. m. 2. 5. 6. 7. SOMEREN c. l. §. 2. 3. SANDE in *Decis.* lib. 2. tit. 3. def. 3.

4) Nou. 22. c. 46.

5) SOMEREN c. l. c. 13. §. 4.

6) T. I. P. I. *Obs.* 93.

7) FACHINAEVS in *Controu.* iur. lib. 3. c. 64. IO. MARTIN. SILBERRADII diss. *qua dominium hereditatis liberorum prioris matrimonii ab intestato delatae patribus ad secundas nuptias transeuntibus asseritur.* Arg. 1757.

8) DECIS. CASSEL. T. I. dec. 110.

9) STRYK de *success. ab intest.* Diss. 12. c. 3. §. 13. BOEHMER in *Consult. & Decis.* T. II. P. I. resp. 431. n. 18. KNORR in *diss.* de *iure coniugis nuptias iterantis, in bonis*

nis propriis & a priori conluge quaesitis c. 4. §. 2. de CRAMER in den Nebenst. P. 81. n. 8.

10) SANDE in *Decis.* lib. 2. tit. 5. def. 2. LEYSER sp. 300. m. 7. HERTIVS *Resp.* 473. n. 8. seq. *Resp.* 473. n. 8. seq. *Resp.* 584. n. 9. seq.

11) VOETIVS ad *Pand.* tit. de *ritu nupt.* §. 106. SANCHEZ de *matrimonio* lib. 7. disp. 89. n. 12. dissent. BRVNNEMANN *ad* l. 3. C. de *sec. nupt.* n. 10.

12) l. 3. § 1. C. de *sec. nupt.* NOV. 22. c. 46. VOETIVS c. l. SANDE c. l. def. 1. SANCHEZ cit. tr. lib. 7. disp. 89. n. 37. PEREZ ad *Cod.* tit. de *sec. nupt.* n. 5. FABER in COD. lib. 5. tit. 5. def. 6.

† Nou. 98. c. 1. l. 4. §. 6. C. de *secundis nupt.* STRYK c. l. diss. 1. c. 2. §. 6. seqq.

13) Vide modo innumeros Doctores allegatos apud SANCHEZIVM in *cit. tr.* lib. 7. *disp.* 87. n. 23. WIESTNER in *Inst. can.* lib. 4. tit. 21. n. 45. seqq.

14) vid.

14) vid GONZALEZ TELLEZ ad c. 5. X. de *sec. nupt.* n. 9. REIFFENSTVEL, PIRHING, PICHLER, SCHMALTZGRVEBER, CANISIVS, KOENIG, ENGEL, in *Operibus suis* ad *tit.* X. de *secundis nupt.* SANCHEZ l. c. 38. SCHMIER in *Iurispr. canon. ciuil.* T. III. p. 76. seq.

15) STRYK c. tr. diff. 12. c. 3. §. 13. HERTIVS *Resp.* 487. n. 7. *Resp.* 473. n. 10. *Resp.* 522. n. 2. *Dec.* 914. LEYSER sp. 300. m. 3. seqq. ESBACH ad CARPZOV. P. 2. C. 43. def. 17. n. 3. BOEHMER in *Conf.* & *Decif.* T. II. P. II. rosp. 860. n. 21. KNORR in cit. *diff.* c. 3. 5. Leuidense scriptum est, quod sub praesidio doctissimi IO. MARTIN. SILBERRADII sub titulo *dissertationis* de *poenis secundar. nuptiar. in territoriis I. R. G. Augusf. Confess. parum vsitatis* defendit CHRISTIAN. GOTTL. SCHOELL. Arg. 1757.

§. 25.

DESCENDENTES VERI LEGITIME NATI EX IVSTIS NVPTIIS.

Descendentes veri legitime nati ex iustis

iuſtis nuptiis, ſiue ſint *primi* gradus, ſiue, his praemortuis, *vlteriorum* graduum, ſuccedunt *omnibus* aſcendentibus legitimis, & quidem *illi* in *capita: hi*, in *ſtirpes*, ſiue *nepotes diuerſarum* ſtirpium *ſoli* inter ſe, ſiue cum liberis *primi* gradus concurrant. (§. 23.) Nec *infans tenellus* ratione alimentorum, vulgo des Ziehegeldes, *praecipuum* accipit. 1)

1) CARPZOVIVS P. 3. C. 15. def. 33. WERNHERVS P. X. obſ. 486. BARTHIVS *diſſenſu* 437.

§. 26.

DESCENDENTES EX MATRIMONIO PVTATIVO.

Matrimonium putatiuum eſt *matrimonium in ſe nullum bona tamen fide initum:* idque, vel *vtroque* coniuge, vel ſaltim *vno*, in *bona fide* exiſtente. 1) Liberi ex *tali* matrimonio nati, *legitimi* habentur; 2) ideoque *parenti vtrique*, & aſcendentibus *vlteriorum* graduum, ſuccedunt inſtar *legitimorum*, etiamſi *vnus* coniugum fuerit in *mala fide*. 3)

1) 10

1) IO. NICOL. HERTIVS in diff. de *matrimonio putatiuo* §. 7. seqq. in *Comment.* & *Opusc.* V. I. T. I. pag. 245. seqq. ERNESTVS CHRIST. WESTPHAL in *diff.* de *veris casibus matrimonii putatiui.* Hal. 1758. §. 3. 6. REINHARTH *ad* CHRIST. Vol. I. obs. 78.

2) c. 2. c. 8. c. 14. c. 15. X. *qui filii sint legit.* HERTIVS c. l. §. 22.

3) HERTIVS c. l. §. 23. STRYK c. l. diff. 1. c. 2. §. 51. MAVRITIVS in *Consil. Chilon.* XXX. n. 15. seqq.

§. 27.

DE NATO EX SPONSA.

Ex *sponsalibus* natus, sponso ante nuptias legitime initas mortuo, aut sponsam deserente, vtrum, quoad *successionem* in bona sponsi, pro *legitimo* habeatur? varie disputatum est. Quidam, *legitimum* partum extra legitimas nuptias non statuentes, & stricto iuri inhaerentes, *spuriis* eos accensent. 1) Alii tamen in *vtroque casu*

casu natum ex sponsa pro *legitimo* declarant: eaque sententia, ob fauorem legitimitatis & innocentiam prolis, fere vbiuis recepta est. 2) De iure *Sax. elect.* res dubio vacat: eo enim iure per expressam *decisionem nou.* 49. pro *legitimis* sunt declarati. 3) Quae de liberis ex *matrimonio putatiuo* natis docuimus, (§. 26.) illa ad natos quoque ex *sponsalibus putatiuis* nostra quidem ex sententia applicanda sunt.

1) ARG. RVD. IES. BÜNEMANN in *diss.* de *Sponsae partu spurio.* Goett. 1753.

2) vid. FERD. CHRIST. HARPPRECHT in *diff.* de *iure liberorum a desponsatis ante benedictionem sacerdotalem, nec ex post subsecutam, procreatorum.* in VOL. DISS. I. n. 23. GEORG. LVDOV. BOEHMERVS in *Princ. iur. canon.* §. 373. IO. FRIED. EISENHARTVS in *diss.* de *nato ex sponsa.* Helmst. 1750. Struben in den rechtl. Bed. 3. Th. S. 456. & ab his excitati. add. BARTHIVS *dissensu* 725.

3) IO

3) IO. HENR. BERGERVS in *Oec. iur.* p. m. 446. EISENHART cit. *diff.* §. 11.

§. 28.

DESCENDENTES LEGITIMATI PER SVBSEQVENS MATRIMONIVM.

Eodem, quo liberi *legitime nati*, (§. 25.) iure & modo ſuccedunt *legitimati per ſubſequens matrimonium.* 1)

Ideoque & *partus adulterinus*, *hoc modo* legitimatus, parenti vtrique ſuccedit. 2) De *ſucceſſione in feuda* ſermo nobis neque hoc loco, neque in ſequentibus eſt.

1) l. 10. C. de *natur. liber.* NOV. 11. c. *fin.* NOV. 18. c. f. NOV. 74. c. 1. NOV. 89. c. 8. c. 6. X. *qui filii ſint legit.*

2) BOEHMER in I. E. P. lib. 4. tit. 17. §. 16. ſeqq. BROCKES in *Obſeruat. forenſ.* 77. PVFEND. T. I. obſ. 163.

§. 29.

DESCENDENTES LEGITIMATI PER RESCRIPTVM PRINCIPIS PLENE.

Legitimati per reſcriptum princi-

pis

pis plene ſcil. ad effectum ſucceſſionis, parentibus ſuccedunt vt *legitime nati;* (§. 25.) modo *tempore legitimationis* nullam *prolem legitimam* parens habeat; aut ſi habeat, ſub clauſula: *non obſtantibus liberis legitimis*, legitimatio petita, & indulta ſit; 1) Quo *poſteriore* in caſu *legitimis liberis legitimam* praecipuam eſſe, communis fere ICtorum ſchola docet. 2) Immo ex ſententia PVFENDORFII 3) liberi *legitimati* in *hoc caſu* ad ſucceſſionem cum *legitimis* liberis *plane non* admittuntur. Quod *vtrumque* tamen erroneum eſt: & liberis ſub clauſula: *non obſtantibus liberis legitimis*, pleno effectu *legitimatis* ius ſucceſſionis *eodem* iure ac liberis *legitimis* competit: 4) niſi princeps in *tabulis legitimationis* aliud expreſſerit.

1) NOV. 74. c. 2. NOV. 89. c. 9. *auth.* Si quis C. de *natural. liber.*

2) GAILIVS lib. 2. Obſ. 242. CARPZOV.

P. 2. C. 6. def. 27. STRYK c. l. diff. I. c. 2. §. 74. GEORG. SAMVEL. MADIHN in *diff.* de *legitime natorum portione legitima in succeſſione cum legitimatis.* Halae 1755.

3) PVFENDORF in *Obſeru.* T. I. *obſ.* 241. §. 5.

4) GEORG. HENR. AYRERVS in *diff. de reſcripto legitimationis principis, pleniſſimum effectum tribuente, legitimi licet liberi extent.* Goetting. 1748.

§. 30.

DESCENDENTES LEGITIMATI PER RESCRIPTVM MINVS PLENE.

Legitimatio, ad *ſolam maculam* natalium eluendam facta, liberis legitimatis nouum ſucceſſionis ius haud tribuit, ſed quoad ſucceſſionem in bona parentum retinent qualitatem *illegitimorum.* 1)

1) WERNHER T. II. P. 6. obſ. 318.

§. 31.

§. 31.

DESCENDENTES ILLEGITIMI NATVRALES.

Liberi ex *concubina* nati, *matri maternisque* aſcendentibus ſuccedunt *iure legitime natorum.* (§. 25.) 1) *Patri* vero, *legitima* ei *ſobole* (ſub qua & *adoptiui* & *legitimati* comprehenduntur,) 2) aut *legitima coniuge* extante, plane non ſuccedunt; quamuis debita alimenta ipſis ex hereditate patris ſuppeditanda ſint. Legitima vero omnino ſobole non extante, neque legitima coniuge, *filii* & *filiae naturales*, quanticunque fuerint, (non tamen *nepotes*, licet ex filio filiaue *naturali legitime nati* ſint,) 3) ad *duas* paternae ſubſtantiae vncias, cum matre ita partiendas, vt *vnius* filii portionem mater accipiat, vocantur. *Ab inteſtato* hae portiones tantum debentur. Igitur liberis naturalibus nullum aduerſus teſtamentum patris naturalis remedium competit. 4) Requiritur vero, vt mulier in *ſchemate concubinae* ſociata, nec

priori concubinae alia ſuperinducta fuerit. 5)

1) GEORG. AŃCKELMANN in *diſſ.* de *ſucceſſione ab inteſtato liberorum naturalium & ſpuriorum in bona matris eiusque collateralium.* Goett. 1764. c. 2. ſ. 1. §. 10. ſeq.

2) FRANZKIVS ad Inſt. lib. 3. tit. 1. c. 7. n. 7.

3) l. 12. C. de *natur. liber.* GABR. PALABOTVS in *tr.* de *nothis ſpuriis filiis* c. 38. VOETIVS in *Comment. ad* D. lib. 38. tit. 17. §. 8.

4) GRIVELLVS in *deciſ.* 88.

5) NOV. 89. c. 12. NOV. 18. c. 5. *auth.* licet C. de *nat. liber.*

§. 32.

DESCENDENTES ILLEGITIMI SPVRII.

Spurii, per quos intelligo *liberos ex ſtupro voluntario natos & quorum pater certus eſt; matri maternisque* aſcendentibus ſuccedunt *iure legitimorum*,

morum, (§. 25.) 1) nisi mater *illustris* sit, & alios liberos ex iustis nuptiis procreatos reliquerit, tunc enim *spurii* matri non succedunt; 2) quod tamen ad matrem *nobilem* non extendendum est. 3) *Patri* vero & *paternis* ascendentibus iure *Romano* nullatenus succedunt. 4) Alimenta tamen *naturalia*, saltim moribus nostris a *stupratore* suppeditanda, ex hereditate eius filio spurio exhibenda sunt.

1) §. 4. I. de *succeff. cogn.* I. 2. 18. D. *vnde cogn.* §. 3. I. de *SCt. Orfit.* GEORG. ANCKELMANN in cit. *diff.* c. 2. S. 1. §. 10.

2) l. 5. C. ad *SCt. Orfit.*

3) HVBER ad *Inft.* tit. de *succeff. ab int.* §. 7. ANCKELMANN cit. loc.

4) LAVTERBACH in Coll. th. pr. lib. 38. tit. 17. §. 19. STRVV. Ex. 38. th. 22.

Schol. I. De vario *spurii* significatu praeter alios lege ANTON. CONTIVM le-

ction. lib. II. c. II. in EIVS *Operib.* p. 89. seq. & IOS. LVD. ERN. PÜTTMANNVM in *diss.* de *querela inofficiosi testamenti fratribus atque sororibus contra spurios haud competente.* Lipſ. 1772.

Schol. II. Spuriis ex *stupro voluntario* natis *iure romano* neque ratione *patris*, neque ratione *matris* ius *successionis legitimae* competiisse verius mihi videtur; quia *stupri* flagitium lege *Iulia* punitur, §. 4. I. de *publ. iud.* ideoque liberi ex *stupro* cum *libera* femina commisso nati ex *damnato coitu* procreati sunt. Liberi vero ex *damnato* & secundum leges, vt loquuntur, *punibili* coitu nati omnis successionis siue *paternae*, siue *maternae*, penitus sunt incapaces. VINNIVS ad §. 4. I. de *succeſſ. agnator.* HARPPRECHT in *Comment. Inſt.* lib. 3. tit. 1. n. 346. 348. FORSTER. in *cit. tr.* lib. 6. c. 48. seq. *Textus* in *not.* 2. allegati loquuntur de *vulgo quaesitis*, non vero de *spuriis* ex *stupro* natis. Interim *praxis* certa est, in qua ex *aequitate canonica spurii* ad hereditatem *matris* admittuntur.

Schol. III. Liberi, *naturales* aut *spurii clericorum*

ricorum in ordinibus *ſacris* ſ. *maioribus* conſtitutorum, & perſonarum *eccleſiaſticarum*, quae *ſolenni caſtitatis voto* obſtrictae ſunt, pro *ſacrilegis* & *adulterinis* habentur, & *neutri* parenti ſuccedunt. Liberi *clericorum*, qui in *minoribus* adhuc ordinibus ſubſiſtunt, ex *concubina* vel *ſtuprata* nati, iure *communi* vtuntur. Ita apud *Catholicos*, vti *Canoniſtae* docent. conf. LVCAS *van de* POLL in *tr.* de *exhered.* & *praeteritione* c. 42. Inter *Proteſtantes* liberi *clericorum* & perſonarum *eccleſiaſticarum naturales* & *ſpurii* eodem iure aeſtimantur, quo *laicorum* liberi *naturales* & *ſpurii* fruuntur, nec impedimento eſt *votum caſtitatis*, quo *Capitulares*, *Equites* ſacri & *Canonici* euangelici paſſim obligantur. IO. VLR. *de* CRAMER in den Wezlariſchen Nebenſtunden P. 4. p. 117. ſeqq.

§. 33.

VTRVM IN GERMANIA NATVRALES ET SPVRII PATRI SVCCEDANT IN SEXTANTEM?

Sed iam quaeſtio momentoſa oritur: *Vtrum nempe in Germania, mutata concubinatus conditione, ſucceſſio*

in ſextantem, de qua in §. 31. dictum eſt, *obtinere debeat?* Hoc inficiari nullus poteſt, quod *concubinatus*, iure *Romano* licitus, legibus *patriis* in numerum delictorum relatus ſit. 1) Ergo *naturales* liberi in *Germania* iure optimo maximo *ſpuriis romanis* aſſimilandi videntur, vt proin hodie neque *naturales*, ſi cui forſan mulier in ſchemate concubinae ſociata fuerit, neque multo minus *ſpurii*, ex ſtupro nati, patri vllo modo ſuccedere queant, & ſucceſſio in ſextantem plane in Germania exulet. Superbit etiam haec ſententia non ſolum ſpectatiſſimorum ICtorum aſſenſu, verum in multis quoque illuſtribus collegiis recepta eſt. 2)

Sed contraria, in fauorem *naturalium & ſpuriorum* concepta, ex iure *canonico*, quod *ſpurios & naturales* in aliis quoque materiis e. g. *legitimatione*, exaequauit, orta ſententia neque

que ſplendidiſſimorum Doctorum numero, neque praeiudiciis, quae vocant, *priori* cedit, & praeterea venerabili *aequitatis* pallio veſtita eſt. Supponi vero debet, vti omnino par eſt, vt ſtuprata cum *vno* tantum rem habuerit. (§. 33.) *Facultas iuridica Ienenſis* hodie adhuc illi, quam ſemper amplexa eſt, inhaeret ſententiae, prouti perſpexi ex actis, coram praefectura Reinhardsbrunn in Thuringia, ventilatis, in quibus an. 1759. *Facultas Ienenſis* in *affirmantem* iudicauerat ſententiam. *Facultas iuridica Marburgenſis*, iisdem actis ipſi oblatis, an. 1762. in *contrariam iuerat partem.* *Facultas* vero *noſtra*, iisdem actis ad nos transmiſſis an. 1764. in *aientem* aequioremque ſententiam discedere non dubitauit. Et haec ſententia in terris *Haſſo - Darmſtadinis* recepta eſt.

1) *Reform. polit. imp.* de 1530. tit. 32. de 1548. tit. 25. & de 1577. tit. 26.

2) vid. HENR. COCCEII Vol. I. Conf. 13. SIMON *van* LEEVWEN in *cenſura forenſi* lib. 1. c. 3. n. 10. LÜDER. MENCKEN in *ſyſtem. iur. ciuil.* lib. 38. tit 17. §. 8. 10. VOETIVS ad *Pandect.* lib. 38. tit. 17. §. 8. 10. BALTHASAR WERNHERVS T. I. P. 1. Obſ. 185. TOB. IAC. REINHARTH in *ſel. obſeru.* ad CHRISTINAEVM Vol. 6. obſ. 10. qu. 3. FRID. ESAIAS PVFFENDORF. in *Obſ. iur. vniu.* T. 1. obſ. 89. T. II. obſ. 49. DAVID GEORG STRVBE in den rechtlichen Bedencken 1. Theil. n. 48. CAROL. FERD. HOMMELIVS in *Rhapſod.* obſ. 89. DECISIONES *ſupr. tribunal. appell. haſſ. caſſel.* T. 1. deciſ. 26. GODOFR. LVDOV. MENCKEN in *diſſ.* de *ſucceſſione liberorum naturalium ad ſpurios non pertinente.* Vit. 1725. GEORG. ZACH. WINKLERVS in *diſſ.* de *concubinatu* Lipſ. 1744. IO. HENR. EBERHARD in diſſ de *ſucceſſione liberorum naturalium in ſextantem paternae hereditatis exſule in Germania.* Marb. 1764. qui tamen certo modo ſententiam retractauit in dem kritiſchen Wörterbuche 5tes Alphab. p. 147. ſeq.

3) vid.

s) vid. BENED. CARPZOVIVS *Decis.* II. 167. SAMVEL. STRYKIVS diss. 1. c. 2. §. 45. 53. NICOL. CHRISTOPH. LYNCKER *Decis.* 842. CHRISTOPH. PHILIPP. RICHTER in *tr.* de *succeſſ. ab. int.* S. 1. m. 3. n. 9. GEORG. ADAM. STRVVVIVS Ex. 38. th. 23. WOLFG. ADAM. LAVTERBACHIVS in Coll. th. pr. lib. 38. tit. 18. §. 18. VLRICVS HVBERVS in *prael.* ad *Inſt. tit.* de *ſucceſſ. ab inteſt.* §. 7. IO. PHILIPPI in *Vſu pract. Inſt.* lib. 3. eclog. 25. IO. HENR. BERGERVS in *Oec. iur.* lib. 2. tit. 4. §. 37. n. 7. AVG. *de* LEYSER in *Medit. ad Pand.* Spec. 356. m. 12. IO. PHIL. ODELEM. in den curiöſen Rechts-Sachen P. I. n. 5. ABRAHAM. KAESTNER comment. *an ſpurius ex bonis patris ſextantem petere poſſit?* Lipſ. 1734. inter *Kaeſtneriana Progr.* iunctim edita Lipſ. 1736. n. 23. pag. 33. ſeqq. FERD. AVG. HOMMEL in *Progr.* de *ſucceſſione ſpuriorum ſec.* NOV. 89. c. 12. Lipſ. 1740. addatur TOB. BARTHIVS *diſſenſu* 461., & qui iudicium ſuum ſuſpendit, GEORGIVS ANCKELMANNVS in ſaepe cit. *diſſ.* cap. 1. S. 2. §. 8.

§. 34.

§. 34.

DESCENDENTES ILLEGITIMI VVLGO QVAESITI.

Vulgo quaesitum eum nomino, qui ex *meretrice* natus est, quique ideo patrem certum non habet. *Matri & maternis* ascendentibus is succedit, vt *legitimus;* excepto iterum casu, si mater *illustris* est & filios legitimos habet. (§. 32.) *Patri*, licet fortassis de eo constet, plane non succedit; nec *paternis* ascendentibus. Successio in *sextantem* (§. 32.) hic exulat, cum, quod in §. 33. de *spuriorum* in *sextantem* successione prolatum est, de *spuriis* ex femina *non meretrice*, non de *vulgo quaesitis* ex meretrice natis, intelligendum sit. 1)

1) STRVVIVS & BERGERVS cit. loc.

§. 35.

DESCENDENTES ADVLTERINI.

Adulterinus partus quis sit, explicatione non eget. Hoc dubium est, vtrum

vtrum ex concubitu *mariti* cum *ſoluta* genitus, pro *adulterino*, an pro *ſpurio* habendus ſit? Iure *rom.* expeditum eſt, in *ſolutam* non *adulterium* ſed *ſtuprum* a *marito* committi; ideoque illo iure eiusmodi partus *ſpurius*, proinde *matri* ab inteſtato heres eſt. (§. 32.) At cum iure *canonico* & *Germanico* concubitus *mariti* cum *ſoluta* aeque *adulterium* ſit; 1) talis partus omnino inter *adulterinos* referendus, nec ad *maternam*, multo ergo minus ad reliquorum in linea *materna aſcendentium*, hereditatem admittendus videtur. 2) Sed alii ius illud nouum & corrigens, quod coitum huiusmodi pro adulterio habet, in *ciuilibus* in *nati* damnum extendi non debere aiunt. 3) Denique nota, ad adulterium *dolum* requiri. 4) Ideoque ſi vel *vnus* concumbentium in *bona* fide eſt, *liberi* ad claſſem *adulterinorum* quoad *ſucceſſionem*, neque *patris*, neque *matris* intuitu, pertinent. Ceterum partus

vere

vere *adulterinus neutri* parenti succedit.

1) *Institutiones* MEAE *iuris criminalis* §. 305. IO. SAM. FRID. BOEHMERVS in *Obs.* ad CARPZOV. Quaest. 52. obs. 3. & Quaest. 53. obs. 3.

2) vid. STRYK cit. tr. diss. 1. c. 2. §. 57. VOETIVS c. l. §. 9. WERNHER T. II. P. 6. obs. 313.

3) PALAEOTVS de *nothis* c. 42. n. 10. seq. FABER in *Cod. tit.* de *legit. hered.* def. 8. HERTIVS lib. I. Paroem. IV. §. 4. qui *praeiudicium* refert.

4) *Instit.* MEAE *iur. crim.* §. 307.

§. 35. *b*

DESCENDENTES INCESTVOSI.

Quinam liberi hoc loco pro *incestuosis* sint habendi, aeque controuersum est. Iure *Rom.* inter incestum *iuris gentium* & *iuris ciuilis* distinguebatur. In regundis vtriusque finibus MATTHAEI 1) & BOEH-

BOEHMERVS 2) desudaruut. Hoc expeditum mihi videtur, IVSTINIANVM in NOV. 89. c. 15. de incestu *iuris gentium* loquutum esse. Hodie, cum de incestu *iuris naturalis* disputatio, vti constat, nimis salebrosa & lubrica sit, in eorum castra descendendum esse arbitror, qui incestum *iuris diuini* supponunt, & liberos ex incestu *iuris humani* natos, siquidem matrimonium, *spreta* licet *dispensatione*, initum est, *legitimis* libcris; eo vero non contracto, *spuriis* quoad successionem annumerant, ideoque ad hereditatem matris & *sextantem* paternae hereditatis admittunt. 3) Hac vero admissa sententia euenit, vt in iis prouinciis, vbi ea opinio, ac si LEVIT. XVIII. *gradus* prohibiti sint, regnat, partus pro *incestuoso* habeatur; qui in alia prouincia, vbi in *personis nominatim* expressis subsistunt, *incestuosis* in *successionis* argumento non annumeratur. His praemissis ad

ipsam

ipsam rem accedamus. IVSTINIANVS ex *damnato* complexu i. e. adulterio & incestu, natos tam a *patris*, quam *matris*, *omniumque ascendentium* hereditate plane excluſit, eosque adeo deteſtatus eſt, vt nequidem alendi ſint a parentibus. 4) Quod *vltimum* tamen alii de alimentis *ciuilibus*, non de *naturalibus*, accipiunt. Quidquid vero ſit, iure *canonico* liberis *adulterinis & inceſtuoſis* alimenta *naturalia* a parentibus praebenda eſſe, conſtans & ſana ratione ſuffulta eſt *Canoniſtarum*, in *foris* noſtris recepta, opinio. 5) Ceterum ne erres, haec diſtinctius ita cape. Perſonae, contra *ius diuinum* concumbentes, vel *ambae* in *mala* ſunt *fide*; vel *vna*, aut *vtraque*, in *bona fide* eſt. Si *ambae* gradum cognationis aut adfinitatis prohibitum probe norunt, tum vtique ea, quae diximus, circa liberos ex hoc concubitu inceſtuoſo natos valent. Si vero *vna* aut *vtraque* perſona concumbens cognationis aut

aut adfinitatis ignara eſt, tum vel *matrimonium* aut *ſponſalia* intercedunt, vel non. Si illud, liberi, quaſi ex *matrimonio putatiuo* aut *ſponſa putatiua* nati, omnino *legitimi* ſunt. (§. 26. 27.) Si poſterius, ad illam *illegitimorum* liberorum *ſpeciem* referendi ſunt, quam coitus *illicitus*, ſi a qualitate *inceſtus* abſtraxeris, conſtituit. e. g. ad *naturales*, *ſpurios*, *vulgo quaeſitos*, *adulterinos*.

1) de *criminibus* lib. 48. tit. 3.

2) ad CARPZOVIVM Quaeſt. 72. obſ. 1.

3) STRYK c. 1. §. 59. BERGER in *Oec. iur.* lib. 2. tit. 4. p. 37. PVFENDORF. T. I. obſ. 164. DECISIONES *ſummi appellat. tribun. Caſſellani* T. I. deciſ. 29 vbi caſus de concubitu viduae cum defuncti mariti patruo.

4) NOV. 89. c. 15. *auth.* ex complexu C. de *inceſtis nuptiis*.

5) c. 4. X. de eo qui duxit. conf. REIFENSTVEL, SCHMALTZGRVEBER, PIR-

HING & reliqui *Canoniſtae* ad cit. *tit.* X. HVBERVS in *Prael.* ad *Inſt.* c. l. §. 8. BERGER in *Oec. iur.* p. m. 450. STRYK c. l. §. 56. ANCKELMANN in cit. diſſ. c. 1. S. 2. §. 6.

§. 36.

DESCENDENTES EX STVPRO VIOLENTO, AVT NEC VIOLENTO NEC VOLVNTARIO.

Stuprum non conſentienti vi illatum, eſt *violentum. Non conſentienti, nulla tamen vi adhibita, illatum*, eſt *nec voluntarium nec violentum ſtuprum.* 1) Eiusmodi coitus a *parte vim inferentis* eſt *damnatus*; non vero *a parte innocentis.* Ergo natos ex *eiusmodi coitu* ad miſeram flebilemque *inceſtuoſorum & adulterinorum* partuum conditionem per omnia redigere aequum non erit. Ne quidem tunc, ſi cum ſtupro violento *inceſtus*, aut *adrlterium* concurrit. Nam poſſe etiam in *vxorem* ſtuprum committi violentum, expediti iuris eſt. 2) Eiusmodi liberos quoad *matrem* &

ma-

maternos cognatos alii pro *legitimis* declarant; 3) alii *naturalibus* aut *ſpuriis* eos ſimiles eſſe putant; 4) intuitu vero *patris* vnanimi fere ex ſententia pro natis ex *damnato* coitu habentur. 5) At, me iudice, eiusmodi liberi ſimiles cenſendi ſunt illis, qui ex *matrimonio putatiuo* nati ſunt. Nam ibi, *vno* ſaltem coniuge in *bona* fide exiſtente, *altero* licet coniuge *bigamiae* reo, liberi quoad ſtatum & *iura ſucceſſionis* intuitu *vtriusque* coniugis habentur *legitimi*, illo tantum coniuge, qui in *mala* fide eſt, a iuribus legitimorum parentum excluſo. (§. 26. 51.) Hoc certum & expeditum eſt, feminam vim paſſam, ab omni crimine eſſe liberam; ideoque non video, qua ratione, ſi aequitatis ſtudioſi eſſe volumus, eiusmodi liberos *ſpuriis* aequiparare velimus. Nec ita ſtricte illi amplius inhaeremus principio, quaſi omnes *extra nuptias* nati liberi *illegitimi* ſint: nato nimirum ex *ſponſa* hodie fere vbique pro

legitimo declarato. (§. 27.) Muto igitur, quam olim defendi, sententiam: meliora nunc, vt mihi persuasum habeo, edoctus.

1) *Inst.* MEAE *iur. crim.* §. 284.

2) C. C. C. *art.* 119.

3) FORSTERVS c. l. lib. 6. c. 50. n. 7. seqq. CARPZOVIVS lib. 5. resp. 113. HERTIVS lib. I. par. IV. §. 3. in Opuscul. Vol. II. T. 3. p. 261.

4) STRYK in *tr.* de *successs. ab int.* Diss. 2. c. 1. §. 47.

5) citati *Doctores*, CARPZOVIVS, HERTIVS, STRYKIVS. cc. ll.

§. 37.

DESCENDENTES EX BIGAMIA.

Bigamiae inest etiam *adulterium.* 1) Ergo ea, quae de descendentibus adulterinis dicta sunt, (§. 36.) etiam de liberis ex *bigamia* natis valent. Suppono *vtrumque* coniugem in do-

lo

lo esse: si *vnus* saltem esset in bona fide, nuptiae adessent *putatiuae*, & liberi *legitimi* forent. (§. 26.)

1) C. C. C. art. 121. *Inst.* MEAE *iuris criim.* §. 328.

§. 38.

QVID ET QVOTVPLEX COGNATIO SPIRITVALIS? DESCENDENTES SPIRITVALES.

Cognatio *spiritualis* est relatio inter personas proueniens ex dispensatione *sacramentali baptismatis & confirmationis.* Cognatio *spirituaiis* antiquo iure canonico triplex fuit: *Paternitas* nempe, *compaternitas & confraternitas. Illa* est inter baptizantem vel confirmantem, eorumque vxores & baptizatum vel confirmatum, item inter baptizati aut confirmati patrinum eiusque vxorem, & inter ipsum baptizatum & confirmatum. *Ista* est inter baptizati & confirmati naturales parentes ex vna, & inter baptizantem & confirmantem, atque patrinos eorumque

vxores ex altera parte. *Haec* eſt inter baptizatum vel confirmatum ex vna, & filios naturales baptizantis vel confirmantis, atque patrinorum ex altera parte. 1) Sed per CONC. TRID. *ſeſſ.* 24. de *reform. matr.* c. 2. *fraternitas* plane *ſublata*, & *paternitas* compaternitasque reſtricta eſt. vide *Canoniſtas citatos.* Quum *iure eccleſiaſtico* haec cognatio ſolum in ordine ad *dirimendum matrimonium* introducta ſit, facile patet, eam *ius ſucceſſionis* non operari. Et proin liberi *ſpirituales* ad ſucceſſionem parentum *ſpiritualium* non admittuntur. 2)

1) REIFENSTVEL in *Iur. can. vniuerſ.* lib. 4. tit. 11. n. 27. SCHMALTZGRVEBER eod. tit. 2. §. PICHLER eod. tit. n. 2. GRENECK in *Exam. iure can.* eod. tit. n. 2. ſeqq.

2) LAVTERBACH c. l. §. 17. STRYK c. l. diſſ. 1. c. 44.

§. 39.

DISCENDENTES ADOPTIVI IMPERFECTE.

Liberi in patria *poteſtate patris naturalis*

turalis constituti *extraneo* in adoptionem dati, patri *adoptiuo*, nulla emancipatione interueniente, succedunt ab intestato iure *suorum heredum*: ideoque cum aliis patris *adoptiui* filiis & filiabus concurrunt, & patris *adoptiui* parentes excludunt. 1) Mirum tamen est, quod patri *adoptiuo extraneo* licentia data sit, si voluerit, nihil filio *adoptiuo testamento* suo relinquere. Filius *imperfecte* adoptatus neque patris adoptiui *vxori*, neque illius parentibus succedit, quamuis hi in adoptionem consenserint. 2) Quoniam vero filius, *extraneo* in adoptionem datus, in sacris patris *naturalis* permanet, igitur & ad *huius*, & *matris*, & *vtriusque lineae ascendentium* hereditatem vocatur, licet patri *adoptiuo heres* exstiterit. 3)

1) l. 10. §. 1. C. de *adopt.*

2) l. 10. §. 1. in f. C. de *adopt.* diffent. BOEHMER in *Introd. in ius Dig.* P. 2. p. 308. §. 5.

3) l. 10. §. 1. 2. C. de *adopt.*

§. 40.

DESCENDENTES ADOPTIVI PERFECTE.

Si pater *naturalis* filium ſuum *auo materno*, vel ſi ipſe fuerit emancipatus, etiam *auo paterno*, vel *proauo*, ſimili modo vel *paterno* vel *materno*, dedit in adoptionem; ad eum ſolum reſpiciat filius, cui eum & natura aggregauit & lex per adoptionem aſſignauit, & is ei ſolus pater intelligatur, quem lex fecit, & natura non dereliquit, & ad eam tantummodo filius adoptiuus ſpem totam extendat, & non patris *naturalis* ſucceſſionem *moleſtare* concedatur: niſi *auus* & *proauus* emancipatum fecerint filium *adoptiuum*: tunc enim iterum ad patrem *naturalem* reuertitur. Ita ſanxit IVSLINIANVS in l. 10. C. de *adopt.*

Num vero hoc, poſtquam per NOV. 118. & *emancipati* & *cognati* ad ſucceſſionem, aequali cum *agnatis* iure, admittuntur, & *cognatio* tanquam

quam *naturalis qualitas* tolli nequit, 1) mutatum sit, vt post dictam Nouellam filius *auo* in adoptionem datus, & ab hoc non emancipatus, etiam *patri* naturali succedat? non vna est omnium Doctorum sententia. Affirmant alii, 2) alii negant. 3) Ego illis accedere non dubito. Hoc expeditum est, quod filius *auo* in adoptionem datus, *matri* adhuc indistincte succedat. Vti vero a *marito* adoptatus *vxori* heres, *qua adoptiuus*, nunquam est, ita & idem circa *auiam* hoc casu obtinet: quamuis enim fieri possit, vt *matre patreque mortuis*, auiae paternae maternaeque succedat ab *auo* adoptatus nepos, id taman non fit ex iure *adoptionis*, sed iure *cognationis*.

1) §. fin. I. de *legit. agnat. tut.* §. 6. I. de cap. *dem.* §. 10. seq. I. de *hered. quae ab int. defer.*

2) HVNNIVS in *Resol.* lib. 3. tr. 1. qu. 9. & STRYK. c. l. diff. 1. c. 2. §. 39. 42.

3) BACHOV. ad TREVTLER Vol. 2. disp. 16. th. 2. tit. 1.

§. 41.

DESCENDENTES ARROGATI.

Arrogati patri *arrogatori*, iure *ſuorum heredum* ſuccedunt, niſi ab eo *emancipati* fuerint. 1) Succedunt etiam *arrogatoris aſcendentibus paternis maſculis*, ſi hi in arrogationem *conſenſerunt*. 2) Nec *arrogatoris vxori*, nec *arrogatoris matri* aut *auiae* ſuccedunt. Patri *naturali*, ſi adhuc in viuis & ab eo ante arrogationem emancipatus erat, & *aſcendentibus patris naturalis* poſt *arrogationem olim* non amplius ſuccedebant. Hodie *arrogatum* ab alio filium patri *naturali*, (ſi vti dictum, ille adhuc viueret & filius *ſui iuris* e. g. per *ſeparatam oeconomiam* factus, isque ab altero *arrogatus* eſſet,) vti etiam patris *naturalis* aſcendentibus ex *iure cognationis* ſuccedere, facile quiuis concedet. (vid. §. praec.) Similiter manifeſtum eſt, *arrogatum* ab alio filium ad matris *naturalis eiusque aſcendentium* hereditatem ex *iure cognationis* admitti.

1) l. 10.

1) l. 10. C. de *adopt.* §. 5.
2) §. 7. I. de *adopt.*

§. 42.

ADOPTATVS A FEMINA.

Quamuis *feminae* adoptare alias non possint, quia nec *naturales* liberos in sua potestate habent: ex *indulgentia* tamen *principis*, *ad solatium liberorum amissorum* adoptare possunt. 1) Hoc modo adoptatus, *matri adoptanti* ab intestato succedit, non vero *eius ascendentibus*, aut *marito*. Quoad *maritum* vero, ne quaestio *Domitiana* videatur, supponendum est, feminae etiam nuptae, cuius maritus adhuc viuit, permissum esse, seorsim sibi liberos adoptare. Quod LEO in *Nou.* 27. concessit: 2) sed in *iure Iustinianeo controuersum* est. 3)

1) §. 10. I. de *adopt.* l. 5. C. de *adopt.*
2) add. HARMENOPVLVS in *Promtuar.* lib. 2. t. 8.
3) HARPPRECHT, VINNIVS aliique ad §. 10. I. de *adopt.*

CLAS-

CLASSIS SECVNDA.

ASCENDENTIVM PROPIORVM, FRATRVM SORORVMQVE BILATERALIVM SVPERSTITVM, ET HORVM HARVMVE PRAEMORTVORVM PRAEMORTVARVMVE FILIORVM FILIARVMVE

§. 43.

QVINAM IN HAC CLASSE VOCANTVR.

Deficientibus descendentibus, successionis ab intestato *plene capacibus*, (§. 12.) vocantur vna & inuicem *ascendentes propiores*, *fratres sororesue bilaterales*, & *horum harumue filii filiaeue*. 1) Dixi *Ascendentes propiores*. Ergo non solum *pater materque*, sed &, his praemortuis, *auus auiaque*, imo & *reliqui ascendentes* cum *fratribus sororibusque germanis*, *ho-*

horumque filiis filiabusque concurrunt. 2) Hoc expeditum est, *fratres sororesque vnilaterales* ad hanc classem *secundam* non pertinere. 3)

1) NOV. 118. c. 2. ROV. 127. pr. & c. 1. per quam emendata est dispositio NOV. 118. c. 2. & 3. *Regiments-Edict* de 1521. in *Corp. recess. noaiss.* P. I. pag. 210.

2) HVBER in *Prael. ad Inst.* tit. de *succeff. ab int* §. 10. IO. TILEMANN. alias SCHENCK. de *fucoessione ascendentium.* Lugd. Batau. 1644. FRID. ESA. PVFENDORFF in *Obs. iur. vniu.* T. IV. obs. 239. Dissentit VOETIVS in *Comm. ad Pandectas* tit. de *succeff. ab intest.* §. 13.

3) HVBER. l. c.

§. 44.

DE IVRE REPRAESENTATIONIS IN HAC CLASSE.

In linea *ascendente* exulat *ius repraesentationis*, sed *propior* in *vna* linea excludit *remotiorem* etiam in di-

diuerſa. Vt ecce: Pater excludit auum maternum, matre praemortua: & mater excludit auum paternum, patre praemortuo. 1) Ex fratrum vero ſororumue bilateralium *prole* tantum *filii filiaeque* iure repraeſentationis gaudent, 2) Fratrum ergo ſororumue bilateralium *nepotes* pertinent ad *quartam* claſſem.

1) NOV. 118. c. 2.

2) NOV. 127. c. 1.

§. 45.

IN QVANTVM SVCCEDATVR?

Diuerſi caſus ſunt ſeparandi.

I. Si aſcendentes *ſoli* adſunt, in *lineas* ſucceditur, licet in *vna* linea *plures* inueniantur perſonae, quam in *altera*. 1)

II. Si *aſcendentes* cum *collateralibus* concurrunt; *illi* in *capita* ſuccedunt, 2) etiam *fratres ſororesque* in *capita*, eorum vero *filii filiaeue* in *ſtirpes*. 3)

III. SI

III. Si *soli* adsunt fratrum sororumue bilateralium *filii filiaeue*, siue ex *vna* stirpe, siue ex *pluribus* stirpibus, in *capita* succeditur. 4) Supponendum tamen est, *solos* fratrum sororumue *filios filiasue* tempore, quo *primum* hereditas delata est, exstitisse & his solis *statim ab initio* delatam fuisse hereditatem. 5) Nam si tempore, quo hereditas *primum* delata est, praeter fratrum sororumue filios filiasue in eadem classe vel *ascendens*, vel defuncti *frater germanus* adfuisset, isque, vel hereditatem *spreuerit*, vel post *delatam* quidem sed ante *aditam* hereditatem *decesserit*, & nunc fratrum sororumue filii *soli* existerent, his casibus quaestio de diuidenda hereditate & constituendis portionibus ex tempore delatae primum hereditatis decidenda est. Ex illo enim

enim tempore ius ſuccedendi quoad portiones conſtituendas protinus delatum fuit, quod per mortem coheredis, ante aditionem ſuperuenientem, iterum adimi nequit. Quamuis enim aliquando ad portionem coheredis, ante aditionem decedentis, iure repraeſentationis alii vocentur, aut illa portio aliquando reliquis coheredibus accreſcat, nunquam tamen *iuris repraeſentationis* aut *iuris accreſcendi* is eſt effectus, vt in praeiudicium alicuius ſucceſſionem *in ſtirpes* mutet in ſucceſſionem *in capita.* 6) Dantur igitur & hodie adhuc caſus, in quibus ſoli fratrum ſororumue bilateralium filii filiaeue in ſucceſſione ab inteſtato hereditatem non ſecundum *capita*, ſed ſecundum *ſtirpes* diuidunt. 7)

Cur vero *nepotes*, ſi *ſoli* ſunt, in

in *ſtirpes*, & *fratrum filii*, ſi *ſoli* adſunt, in *capita* ſuccedant, illius differentiam ratione haud vulgari explicatam dedimus in *auctario quarto* huic libello adiecto, quod legiſſe neminem poenitebit.

1) NOV. 118. c. 2.

2) NOV. 118. c. 2. NOV. 127. c. 1.

3) NOV. 118. c. 3.

4) Celebratiſſima olim erat controuerſia: vtrum fratrum filii, ſi *ſoli* eſſent, in *capita*, an in *ſtirpes*, ſuccederent, quam Cimmeriis tenebris obſcuriorem quidam dixerunt. Argumenta vtriusque ſententiae referunt REINHARD. BACHOVIVS ad TREVTLERVM Vol. 2. Diſſ. 16. th. 5. lit. B. OSWALD. HILLIGER. ad DONELL. lib. 9. c. 4. lit. M. IO. HARPPRECHT. in *Comment.* ad *Inſt.* lib. 3. tit. 1. pr. n. 427. ſeqq. HELFR. HVNNIVS in *Reſol.* lib. 3. tr. 1. qu. 36. SAMVEL. STRYKIVS in *tr.* de *ſucceſſ. ab inteſt.* Diſſ. 3. c. 1. §. 8. ſeqq. GEORG. FRID. DEINLINVS in *diſſ.* de dubiis quibusdam

in succeſſione ab inteſtato collateralium in capita ſecundum regulam ſo viel Mund, ſo viel Pfund. §. 3. ſeqq. In *Germania* obtinuit ſucceſſio in *capita* ex *deciſione imperiali* in *Comitiis Spirenſibus* anno 1529. facta. Vide *Receſſum imper.* de 1529. §. 31. & *Conſtit.* CAROLI V. de *eod.* anno, in *Corpor. Receſſum* ex editione noua P. 2. p. 299. & 301.

5) Verba *conſtitutionis imperialis* ita habent: Wann einer unteſtirt abſtirbt, und nach ihm kein Bruder oder Schweſter, ſondern ſeiner Brüder oder Schweſter-Kinder in ungleicher Zahl verläſt. ---

6) Etenim hoc caſu per *ius repraeſentationis* liberi tantum admittuntur ad hereditatem defuncto parenti *delatam*, ab illo vero *nondum aditam*; quod in caſu *coheredum* exiſtentium eum modum ſeruat, ne in horum detrimentum vergat, & ſine omni coheredum praeiudicio intelligatur. *Ius* vero *accreſcendi* ipſam diuiſionis rationem, quae iam occupata eſt, non mutat, ſed *portionem* ſaltem coheredis *vacantem* inter *reliquos coheredes* concurrentes

tes pro illis quotis, quas ex *prima* hypotheſi, ſi coheres iam deficiens, partem feciſſet in diuidenda hereditate, accepiſſent, diſtribuit.

7) Hi in mentem mihi veniunt caſus:

I. Praeter *patrem* defuncti adſunt duorum fratrum germanorum *filii*. *Pater* defuncti aut repudiat, aut, antequam adit hereditatem, decedit. Nunc ſucceſſio in *ſtirpes*, quae, patre defuncti hereditatem adeunte, obtinuiſſet, non mutatur in ſucceſſionem *in capita*, quaſi *ſola* fratrum proles exiſteret; ſed ſucceſſio *in ſtirpes* manet, & portio *patris* iam vacans, pro numero *ſtirpium* fratrum *filiis* accreſcit.

II. Adſunt *frater* germanus & *aliorum* fratrum germanorum *filii*. Ille aut *ſpernit* hereditatem, aut ante aditionem *moritur* non relictis filiis. Qui caſus *priori* quoad deciſionem plane ſimilis eſt.

III. Adſunt *frater* germanus & *vnius* aut *plurium* fratrum germanorum *filii*. Ille, antequam hereditatem adit, decedit relictis filiis. Hoc caſu iuri quidem accreſcendi

non est locus, sed *coheredis* relicti *filii iure repraesentationis* ad hereditatem admittuntur. Neutiquam vero in *capita* succeditur, quasi nunc *sola* fratrum proles adesset; sed hereditas pro numero *stirpium* diuiditur, & *ius repraesentationis* vnice hunc habet effectum, vt decedentis *fratris* relicti *filii* ad portionem ipsi *delatam* admittantur, neque illa reliquis coheredibus, qui iure exclusionis, vtpote eiusdem ordinis & gradus heredes, non gaudent, *accrescat.*

IV. Adsunt *frater* germanus & *plurium* fratrum germanorum *filii.* Ille hereditatem repudiat, sed *filios* habet. Duplex hic quaestio oritur. Prima: An repudiantis *filii* ex *iure repraesentationis* aut ex edicto *successorio* cum consobrinis admittantur? quam merito negamus. (vid. §. 10. & §. 78. IV. Schol.) Altera: vtrum reliqui fratrum germanorum *filii*, qui nunc *soli* sunt; hereditatem inter se in capita diuidant? quam itidem negamus; sed illud valet, quod supra in casu *primo* diximus.

Haec autem a nobis disputata apud

STRY-

STRYKIVM aliosue frustra quaeris, quod omnino mirandum est.

§. 46.

DIVERSITAS BONORVM NON ATTENDITVR.

In hac classe, in casu si ascendendentes *soli* adsunt, ad *originem* bonorum & ex quanam linea filius ea assecutus sit, respiciendum & diuisionem instituendam esse, quidam statuunt. At sine iure. *Praxis* etiam nullum bonorum discrimen in hac classe agnoscit. 1)

1) VINNIVS lib. 2. qu. 31. HVNNIVS c. l. lib. 3. tr. 1. q. 31. HENR. de COCCEII in *diss.* de *distinctione bonorum* in *Exercit. curios.* Vol. II. p. 843. seqq. cuius potiorem partem exhibet SAM. de COCCEII in *Iur. cont.* lib. 38. tit. 15. qu. 8. PAVL. WILHELM. SCHMIDIVS in *diss.* de *diuersitate bonorum in successione ab intestato ascendentium & iure romano & germanico non attendenda.* Ienae 1755.

§. 47.

QVID PATER PRAECIPVVM HABEAT, ET NON HABEAT?

Si defunctus in *patria potestate* adhuc fuit constitutus, pater praecipit *peculium profectitium*. 1) Hodie *peculium profectitium* non dari, falsum omnino est; licet rarius occurrat. In *mercatorum* filiisfamilias quandoque vsu venit. 2)

Non vero ad *dies vitae vsumfructum*, quem viuente filio in *peculio aduentitio ordinario* habuit, retinet. 3) Sed potius mater & fratres sororesque, eorumque filii, pleno proprietatis iure portiones suas accipiunt, adeo vt pater ex filiorum filiarumque portione, quam ex fratris sororisue hereditate capiunt, nullum sibi vsum penitus vindicare queat. 4)

1) STRYK c. l. diff. 2. c. 1. §. 6.

2) vid. TRAVGOT. THOMASIVS in *Progr.* de *vsu peculii practico*. Lipsiae 1770. & *Doctores* ad *tit.* D. de peculio.

3) NOV.

3) NOV. 118. c. 2. per quam ſublata eſt l. 7. §. 1. C. ad *SC. Tertull.* VOETIVS c. l. §. 11. HVNNIVS c. l. lib. 3. tr. 1. q. 33. HVBER. c. l. §. 11. DECIS. CASSELL. T. I. dec. 7. PAVL. WILH. SCHMID. in *diſſ.* de *ſucceſſione collateralium ab inteſtato vna cum aſcendentibus.* Ienae 1755. §. 5. Quidquid etiam diſſentiant HARPPRECHTVS, FACHINAEVS & STRYKIVS c. l. diſſ. 2. c. 1. §. 25.

4) NOV. 118. c. 2.

§. 48.

DE BINVBO PATRE MATREVE.

De binubo patre matreue liberis *prioris* matrimonii ſuccedente, ſupra iam expoſitum eſt. (§. 24.) Idem & de binubo *auo auiaue*, nepotibus *prioris* matrimonii ſuccedente, valet. 1)

1) STRYK c. l. diſſ. 12. c. 3. §. 13. in f.

§. 49.

QVINAM ASCENDENTES SVCCESSIONIS CAPACES?

Primo nunc loco *aſcendentium* va-

ria genera perluſtrabimus, iura eorum ſucceſſionis ſingulatim oſtenſuri. Quamuis enim pro regula venditari ſoleat: *quod iura ſucceſſionum ab inteſtato ſint reciproca*, 1) ea tamen non ſolum in variis caſibus officium ſuum perdit, ſed rem etiam non ſemper conficit.

1) BARTH. MVSCVLVS in tr. de *ſucceſſ conuent. & anomal.* membr. 3. n. 129.

§. 50.

ASCENDENTES VERI LEGITIMI EX IVSTIS NVPTIIS TALES.

Aſcendentes veri legitimi, ex *iuſtis nuptiis tales*, non ſolum *primi* gradus, ſed & his deficientibus *vlteriorum* graduum, omni tamen ceſſante *iure repraeſentationis*, (§. 44.) ſuccedunt *deſcendentibus veris legitime natis.*

§. 51.

ASCENDENTES EX PVTATIVO MATRIMONIO.

Idem obtinet circa aſcendentes ex nuptiis *putatiuis*, ſi *vterque coniux* eſt

est in *bona fide*. Si *vnus* in *bona*, *alter* in *mala* fide exiſtit: *ille* ſucceſſionis capax eſt; *hic* ab ea *repellitur*. (conf. §. 26.) 1)

1) HERTIVS c. *diſſ.* §. 22.

§. 52.

ASCENDENTES EX SPONSALIBVS PVBLICIS.

Idem iuris eſt quoad aſcendentes intuitu deſcendentium ex *ſponſa* natorum. (§. 27.) 1)

1) ABRAH. KAESTNER. *diſſ. an pater ad ſucceſſionem filii poſt proclamationem e ſuggeſtu publicam nati, ante copulam ſacerdotalem autem mortui, ſit admittendus?* Lipſ. 1739.

§. 53.

ASCENDENTES PER SVBSEQVENS MATRIMONIVM LEGITIMI FACTI.

Idem quoque valet de aſcendentibus intuitu deſcendentium per *ſubſequens matrimonium* legitimatorum. (§. 28.)

§. 54.

ASCENDENTES PER RESCRIPTVM PRINCIPIS PLENE LEGITIMI FACTI.

Idem etiam dicendum eſt de aſcen-

dentibus, tam *patre* quam *matre*, & reliquis, tam *paternae*, *quam maternae* lineae, aſcendentibus, intuitu deſcendentium per *reſcriptum principis plene* legitimatorum. (§. 29.)

§. 55.

ASCENDENTES IN CASV LEGITIMATIONIS PER RESCRIPTVM PRINCIPIS MINVS PLENE FACTAE.

Legitimatio per *reſcriptum principis minus plene* facta, aſcendentibus ius aliquod ſuccedendi in bona deſcendentium illegitime natorum, non tribuit, ſed quoad ſucceſſionem in bona deſcendentium, *hoc modo legitimatorum*, retinent qualitatem illegitimorum. (§. 30.)

§. 56.

ASCENDENTES ILLEGITIMI NATVRALES.

Mater & materni aſcendentes liberis *illegitimis naturalibus*, *iure legitimorum* ſuccedunt. (§. 31.) *Pater & paterni* aſcendentes ad hereditatem eorum

eorum non vocantur. (§. 31.) vide tamen §. 53. & 58.

§. 57.

ASCENDENTES ILLEGITIMI EX STVPRO VOLVNTARIO TALES.

Idem valet de succeſſione in bona *ſpuriorum*. Nec mater *illuſtris* a ſucceſſione in bona ſpurii repellitur, licet *illa legitimos* liberos habeat. 1)

1) STRYK c. l. diſſ. 2. c. 1. §. 42.

§. 58.

VTRVM PATER FILIIS FILIABVSVE ILLEGITIMIS NATVRALIBVS AVT SPVRIIS HODIE SVCCEDAT IN SEXTANTEM?

Admiſſa ea ſententia, quod *filiis filiabusue illegitimis naturalibus & ſpuriis* ex hereditate patris, neque *legitimam prolem* neque *legitimam vxorem* ſuperſtitem habentis, *duae* vnciae adhuc hodie debeantur: (§. 33.) pater quoque, dictis liberis illegitimis, neque *prolem* neque *vxorem legitimam* relinquentibus, ex *ſextante*

tante heres eſt. 1) Quodſi *contraria* ſententia in *liberis* probatur, (§. 33.) ſucceſſio etiam ex parte *patris* cadit. Dixi: *filium naturalem* mortuum eſſe debere ſine *prole* & *vxore legitima*. Alii, & praeſertim MATTHAEVS MATTHAESYLLANVS 2) putarunt, quod eo potius caſu, ſi *pater naturalis* habeat *prolem* aut *vxorem legitimam*, is impediatur *filio naturali* in *ſextantem* ſuccedere. Sed recte refutatus a LVDOVICO BOLOGNINO in *additionibus*. Qua enim ratione dici poteſt, *patri ſuam prolem* aut *vxorem legitimam* in ſucceſſione *filii naturalis* obſtare, quum neque *proles* neque *vxor legitima patris* aliquid habeant, quod ex hereditate *filii naturalis* ſperent? Eius igitur, qui deceſſit, non vero eius, qui in ſextantem ſuccedit, proles aut vxor legitima impediunt ſucceſſionem in ſextantem. 3)

1) NOV. 89. c. 13. AVTH. licet C. de *natur. lib.* STRYK c. l. diff. 2. c. 1. §. 42. SEBAST.

BAST. SCHELKENS de *succeſſ. ab inteſt.* c. 3. in fin.

2) in *tr.* de *ſucceſſ. ab int.* n. 2. art. 2. n. 10. ſq.

3) conf. FORSTERVS c. l. lib. 7. c. 17. n. 3.

§. 59.

ASCENDENTES ILLEGITIMI EX FORNICATIONE.

Vulgo quaeſitis mater & materni aſcendentes, eodem, quo illegitimis naturalibus & ſpuriis, iure ſuccedunt. (§. 56. 57.) *Pater* licet fortaſſe de eo conſtet, ne *ſextantem* quidem lucratur. (§. 34.)

§. 60.

ASCENDENTES ADVLTERINI ET INCESTVOSI.

Adulterinis & inceſtuoſis liberis aſcendentes nullatenus ſuccedunt. NOV. 74. c. f. Repete tamen, quae dicta ſunt §. 35. de adulterio ſimplici *mariti* cum *innupta*. Quodſi enim ex *eiusmodi adulterio* natum in claſſem *ſpuriorum* non vero *adulterinorum*

rum partuum, referimus, eique ius ſuccedendi, vt *ſpurio*, vindicamus, idem quoque negandum non eſt *matri*, & ſuo modo *patri* quoad *ſextantem*. Eadem ratione *inceſtuoſus* parens, qui in *bona* fide fuit, ſuo modo ſucceſſionis capax eſt. vide §. 35. *b*.

§. 61.

ASCENDENTES EX STVPRO VIOLENTO ET NEC VIOLENTO NEC VOLVNTARIO.

Mater innocens, eiusque *aſcendentes*, liberis ex *ſtupro violento* aut *nec violento nec voluntario* natis, eodem, quo *legitimis liberis*, iure ſuccedunt. (§. 36.) *Stuprator* vero *violentus* eiusque *aſcendentes* penitus excluſi ſunt, & *ille* ne *ſextantem* quidem accipit. Nam *coitus violentus* intuitu *vim inferentis damnatus*, & *adulterio*, *inceſtuiue ſimilis* habendus eſt.

§. 62.

ASCENDENTES EX BIGAMIA.

Aſcendentes liberis ex *bigamia* pro-

procreatis plane non succedunt. Id vero de eo tantum parente, qui in *dolo* est, eiusque ascendentibus, intelligi debet. Quodsi enim vnus coniugum in *bona* existat *fide*, ei, eiusque ascendentibus, ius successionis saluum foret. conf. 37. & 51.

§. 63.

ASCENDENTES SPIRITVALES.

Ascendentes liberis *spiritualibus* non succedunt. (§. 38.) 1)

1) STRYK c. l. diss. 2. c. 1. §. 52.

§. 64.

ASCENDENTES ADOPTANTES IMPERFECTE.

Pater & paterni ascendentes liberis *adoptiuis imperfecte* talibus non succedunt: sed his *parentes naturales* heredes ab intestato sunt. 1) De *vxore* patris adoptantis res per se clara est. (§. 39.)

1) l. 10. §. 1. in f. C. de *adopt.* FORSTERVS c. l. lib. 7. c. 18. n. 1.

§. 65.

§. 65.

ASCENDENTES ADOPTANTES PERFECTE.

Auus nepotem, vel *proauus pronepotem* adoptans, filio adoptiuo, *nulla emancipatione* facta, ab inteſtato ſuccedit. Olim patrem *naturalem* excludebat. 1) Sed *iure Nouellarum patrem matremque naturalem* cum *auo adoptante* in portiones aequales cum STRYKIO admitto. (§. 40.) 2)

1) l. 10. C. de *adopt.*

2) STRYK c. l. diſſ. 2. c. 1. §. 36.

§. 66.

ASCENDENTES ARROGATORES.

Pater arrogator, nulla *emancipatione* facta, & *arrogato* filio *pubere* mortuo, huic ſuccedit, cum patre *naturali*, qui adhuc viuit, & matre *naturali*, in portiones *viriles*. (§. 41. & 65.) Si *aſcendentes* patris *arrogatoris* in arrogationem *conſenſerunt*, hi etiam, ſub *prioribus* conditionibus, *arrogato* cum eius aſcendentibus *naturalibus eiusdem gradus*, ſuccedunt

cedunt pro diuersitate casuum vel in *lineas* vel in *capita*. (§. 45.) Interim inter *arrogatos* & *naturales* ascendentes valet quoque regula: *proximior excludit remotiorem*; (§. 44.) ideoque patre *arrogatore mortuo*, pater aut mater *naturalis* illius ascendentes, in arrogationem licet consentientes, excludit.

§. 67.

MATER ADOPTANS.

Femina a se adoptato non succedit ab intestato. 1)

1) FORSTERVS c. l. lib 7. c. 18. n. 2. STRYK. c. l. *diss.* 2. c. 1. §. 9.

§. 68.

COLLATERALES CVM ASCENDENTIBVS IN SECVNDA CLASSE AB INTESTATO SVCCEDENTES.

Cum *propioribus* ascendentibus, siue *naturalibus*, siue *ciuilibus*, adoptantibus scil. perfecte & arrogatoribus, (§. 65. 66.) 1) ad defuncti

ab inteſtato hereditatem ſimul vocantur *fratres ſororesque bilaterales*, & praemortuorum praemortuarumue fratrum ſororumque *filii filiaeue* (§. 43.). Iam ergo videndum, qui ſint *germani* ſ. *bilaterales fratres ſororesque*, & quot eorum *genera?* deinde, *quinam filii filiaeue* fratrum ſororumque ad hanc admittantur claſſem?

1) STRYK c. l. diſſ. 2. c. 1. §. 38.

§. 69.

GERMANVS FRATER, GERMANA SOROR.

Vulgo quidem ii dicuntur *germani, qui ex eodem patre & matre geniti ſunt;* ſed in *ſucceſſionis argumento* non adaequate & accurate ſatis: prout ex ſequentibus clariſſime patebit. *Germani fratres ſororesue* hoc loco ſunt *fratres ſororesue ex iisdem parentibus nati, vtrinque* quoad ſucceſſionem *legitimi. Vtrinque legitimi ex iisdem parentibus* hoc loco ſunt: *qui tam a parte patris, quam*

quam a parte matris ſucceſſionis ab inteſtato plene capaces exiſtunt. Plene inquam. Nam *illegitimi naturales* certo caſu *ex ſextante* patri heredes ab inteſtato ſunt: (§. 31.) & tamen non ſunt *germani.* Vera ergo eſt propoſitio: *fratres germani eundem patrem & matrem habent.* Sed conuerti non poteſt, vt ſcil. ii, qui *eundem* patrem & matrem agnoſcunt, ſtatim ſint *germani* in *ſenſu iuris.* (§. 82.). Sunt ergo ſequentes *germani.*

Schol. Inde facile intelligitur, *legitimum* aliquem eſſe poſſe in *argumento* ſucceſſionis, qui in *alio* eſt *illegitimus.*

§. 70.

GERMANI EX IISDEM IVSTIS NVPTIIS.

Liberos ex *eodem* matrimonio legitime natos, *germanos* eſſe, ambigendum non eſt.

§. 71.

GERMANI EX IISDEM NVPTIIS PVTATIVIS.

Germani etiam ſunt, qui ex *iis-*

dem nuptiis putatiuis nati sunt. (§. 26. 51.).

§. 72.

GERMANI EX IISDEM SPONSALIBVS.

Huc etiam refero liberos ex *iisdem* sponsalibus publicis natos i. e. ab *eodem* sponso cum *eadem sponsa* procreatos (§. 27. 52.). Forsan *casum dabilem* desiderabis? Habes in *gemellis* ex *sponsa* natis. Vt alios taceam.

§. 73.

GERMANI EX STVPRO VIOLENTO, AVT NON VOLVNTARIO NEC VIOLENTO.

Nunc etiam *germanis* annumero liberos (v. c. *gemellos*) ab *eodem* cum *eadem* ex *stupro violento*, aut *non voluntario nec violento* procreatos. Rationem quaere in §. 36.

§. 74.

GERMANI EX IISDEM PARENTIBVS ILLEGITIME NATI, SED PER SVBSEQVENS MATRIMONIVM LEGITIMATI.

Denique huc pertinent liberi ex *iisdem*

iisdem parentibus nati, & per *subsequens matrimonium* legitimati; siue omnes *ante subsequens matrimonium* nati sint, siue *hoc modo legitimati* cum fratribus *ex eodem subsequenti matrimonio natis concurrant.*

§. 75.

GERMANI ALIQVANDO EX IISDEM PARENTIBVS ILLEGITIME NATI PER RESCRIPTVM PRINCIPIS PLENE LEGITIMATI.

Dantur postremo *germani*, qui *ex iisdem* parentibus illegitime nati, sed per rescriptum principis *plene*, nam *minus plene* facta ius succedendi non tribuit, (§. 30.) legitimati sunt. 1) Hoc vero promiscue non accipiendum, sed cum distinctione intelligendum est. Refero igitur huc:

I. Si plures liberi ab *eodem* cum *eadem concubina* procreati, ad preces patris a principe plene legitimati sunt; hi enim liberi inter se sunt *germani.*

Probatio e longinquo non petenda. Nam dicti liberi a parte *matris in ſucceſſionis argumento* per ſe ſunt *legitimi.* (§. 31.). Et per *reſcriptum principis cum pleno effectu* impetratum & indultum ex parte *patris* redduntur *legitimi*; ergo vtrinque ſunt *legitimi*; ergo & inter ſe *germani* (§. 69.).

II. Si plures liberi ab *eodem* cum *eadem* ex *ſtupro voluntario* procreati, ad preces patris a principe plene legitimati ſunt; hi enim liberi inter ſe ſunt *germani.*

Prior argumentatio hic quoque valet, ob §. 32.

III. Si plures vulgo quaeſiti ab *eodem* cum *eadem* MERETRICE procreati, ad preces patris, qui forſan *certus* eſt, plene legitimati ſunt; hi enim liberi inter ſe ſunt *germani*

Et

Et hic simili modo argumentari possumus, ob §. 34. Si *casum dabilem* rogas, iterum prouoco ad casum, si ex *meretrice gemelli* nascuntur. Suppono tamen, vt dictum etiam est, *patrem* esse *certum*. Quod contradictionem non inuoluit, licet mater sit *meretrix*.

IV. Si plures liberi ab eodem cum eadem ex *adulterio*, vel *incestu*, vel *bigamia*, procreati, & ad preces *vtriusque parentis* a principe *plene* legitimati sunt; hi enim liberi inter se sunt *germani*.

Res manifesta est. Quoniam enim liberi *incestuosi*, *adulterini* & ex *bigamia* nati ex parte *neutrius* parentis in successionis negotio *legitimi* sunt, (§. 35. 37.) igitur necesse est, vt quoad qualitatem *germanorum* liberis his conciliandam,

legitimatio ad *vtriusque parentis* preces a principe *plene* facta sit.

1) PVFENDORF T. 1. obs. 241. §. 3.

§. 76.

PLVRES GERMANORVM SPECIES NON DANTVR.

Hi sunt *germani*, quos summa attentione & disquisitione adhibita, meditando inuestigare potui, Nec dari plures, ex sequenti classe, in qua *vnilaterales* fratres recensendi erunt, patebit.

§. 77.

GERMANORVM FILII FILIAEVE, QVI QVAEVE ADMITTANTVR.

Principium struo sequens: *Germanorum germanarumue fratrum sororumue praemortuorum praemortuarumue filii filiaeue, qui quaeue parentis sui defuncti hereditatis ab intestato plene capaces sunt* (§. 69.), *ii eaeue filii filiaeue in defuncti sui thii bila-*

bilateralis ſucceſſione ab inteſtato locum in ſecunda claſſe occupant: modo ab hereditate collateralium generatim *non ſint excluſi.* Sic filius *adoptiuus imperfecte* talis, licet patris *adoptiui* hereditatis ab inteſtato plene ſit capax; patris tamen adoptiui fratri *germano* non ſuccedit: cum *generatim* a ſucceſſione in linea collaterali ſit excluſus. 1) *Qui vero quaeue filii filiaeue parentis ſui hereditatis ab inteſtato plene capaces non ſunt,* (§. 69.) *ii eaeue nec in defuncti ſui thii bilateralis ſucceſſione ab inteſtato locum in ſecunda claſſe occupant.* (§. 12.)

Ergo hic in ſubſidium vocanda ſunt, quae §. 25-42. de ſucceſſione deſcendentium diſſeruimus.

Sic e. g. filii filiaeue illegitimi naturales, ſpurii, & vulgo quaeſiti, patris ſui defuncti fratri ſororiue bilaterali ab inteſtato non ſuccedunt. Succedunt vero filii filiaeue illegiti-

mi naturales, ſpurii & vulgo quaeſiti, matris ſuae defunctae fratri ſororiue bilaterali: niſi quoad *ſpurium* & *vulgo quaeſitum* filium filiamue *mater illuſtris* ſit. 2)

1) l. 10. §. 1. C. de *adopt.*

2) vid. quoad hanc exceptionem §. 32. 34. & STRYK c. l. diſſ. 3. c. 1. §. 38.

§. 78.

SVCCESSIONVM CASVS SPECIALES IN HAC CLASSE DETERMINANTVR.

Iam praeparata ſunt omnia, ex quibus ſpeciales in hac claſſe poſſibiles caſus ſucceſſionum rite diiudicare valemus. Sequentes ſunt:

I. Si ſimul adſunt aſcendentes, fratres ſororesue bilaterales, & horum aliorum praemortuorum filii filiaeue: aſcendentes & fratres ſororesue ſuccedunt in *capita;* fratrum ſororumue filii filiaeue *in ſtirpes.* (§. 45.)

II. Si ſimul adſunt aſcendentes & fratres

fratres ſororesque bilaterales, omnes ſuccedunt in *capita*. (§. 45.)

III. Si ſimul adſunt aſcendentes & praemortuornm fratrum ſororumue bilateralium filii filiaeue, *illi* in capita; hi in *ſtirpes* ſuc. cedunt. (§. 45.)

Schol. Sunt quidam non incelebres ICti, qui fratrum filios ſolos cum aſcendentibus, fratre germano nullo concurrente, non admittendos eſſe cenſent. VOETIVS c. l. §. 12. HVBERVS c. l. §. 11. Sed contrarium verius eſt, quia NOVELLA 127. c. 1. non *reſtrictiue* ſed *exemplificatiue* intelligi debet. Praxis etiam ita fert. STRYK c. l. diſſ. 2. c. 1. §. 31. BERGER in *Oec. iur.* lib. 2. tit. 4. §. 38. n. 3. SANDE in *Deciſ.* lib. 4. tit. 8. def. 4. COCCEII in *Iure contr.* lib. 38. tit. 15. qu. 6. de CRAMER in den Nebenſt. p. 67. n. 1.

IV. Si ſimul adſunt fratres ſororesque bilaterales & praemortuorum fratrum ſororumue bilatera-

teralium filii filiaeue, *illi* in *capita*; *hi* in *ſtirpes* ſuccedunt. (§. 45.).

Schol. Quaeſtio hic exſurgit: *vtrum frater ſororue, qui quaeue* e. g. *decem liberos habet, & cum praedefuncti fratris germani filio vnico in ſucceſſione concurrit, eo effectu hereditati renunciare queat, vt nunc ſucceſſio in capita fiat, quaſi ſolis fratrum filiis exiſtentibus?* (§ 45. Alii eiusmodi renunciationem *plane inualidam* declarant. HARTM. HARTMANNI in *Obſ. pract.* lib. 2. tit. 43. Obſ. 12. Alii *repudiantis filios* admittunt, ſed ſalua manente ſucceſſione *in ſtirpes*. HVLDER. ab EYBEN in *Obſ. pract. ad Inſtit.* Diſſ. 12. Obſ. 14. n. 6. AVG. a LEYSER Spec. 423. n. 4. Alii *repudiantis filios* praetextu *edicti ſucceſſorii & iuris repraeſentationis* non ſolum ad hereditatem vocant, ſed & hereditatem nunc *in capita* diuidunt. SAM. STRYK. c. l. diſſ. 3. c. 1. §. 11. IVST. HENN. BOEHMERVS *in Poſit. de ordine ſucced.* c. 4. n. 1. §. 6. adiectis *tr.* de *actionibus* p. m. 810. 10. HIERON. HERMANN in dem Unterricht von der Erbfolge ab inteſtato p. 282. Rectius autem

autem alii repudiationem *validam* iudicant, & *repudiantis* portionem, *excluſis* repudiantis *filiis*, *iure accreſcendi* ad fratrum *aliorum* praemortuorum *filios*, qui *repudiantis coheredes* exiſtunt, pertinere aiunt; *ſucceſſorio* quippe *edicto* locum in hoc caſu non habente, (§. 102.) excluſo quoque *repraeſentationis beneficio*, quoniam *viuus repudians* ab *eius filiis* repraeſentari nequit. (conf. §. 12. reg. II. & §. 45. III) Praeclare hanc in rem ſcribit IO. VOETIVS in *Commentar. ad Pand. lib. 38. tit. 17. §. 3. Frater, cui vna cum aliis fratrum praedefunctorum filiis hereditas alterius fratris defuncti delata eſt, non poteſt eam repudiare ad illum effectum, vt ipſius liberi, plures numero, cum reliquis praedefunctorum filiis in capita ſuccederent, & ita ſimul ampliorem haberent partem, quam pater eorum, ſi adiuiſſet: cum vtique fratrum praedefunctorum liberis ius ſuccedendi patruo per repraeſentationem protinus a morte patrui quaeſitum fuerit, nec patrui ſuperſtitis ac repudiantis facto adimi potuerit; atque inſuper fratrum praedefunctorum liberi patruum offendentes, quocum ad patrui alterius defuncti hereditatem a lege vocantur, ex*

ex iure repraesentationis in secundo fingantur constituti gradu, & ob id patrui non concurrentis, sed repudiantis, portionem ex iure accrescendi sibi vindicant, nequaquam a patrui repudiantis filiis excludendi, quippe parentem viuum repraesentare non valentibus & ex proprio capite non in secundo sed tertio cognationis gradu defuncto iunctis. Eandem sententiam tuentur CHRISTINAEVS Vol. I Decis. 194. n. 13. SOMREN in *tr.* de *repraesentat.* c. 3. S. 1. §. 9. & late GEORG. FRID. DEINLINVS in *diss.* de *dubiis quibusdam in successione ab intestato collateralium in capita* §. 9. seqq. Ceterum *repudiantis* patrui portionem aliorum fratrum praedefunctorum *filiis* pro *numero stirpium accrescere* per se patet: manet enim inter hos successionis *in stirpes* modus, quamuis patruo repudiante nunc *soli* adesse censeantur in hereditate partienda. (§. 45. III.)

V. Si soli adsunt ascendentes, succeditur in *lineas.* (§. 45.)

VI. Si soli adsunt fratres sororesue

ue bilaterales, succeditur in *capita*. (§. 45.)

VII. Si soli adsunt fratrum sororumue bilateralium filii filiaeue, succeditur in *capita*. (§. 45.)

Schol. I. Fratrum *germanorum filios* eo casu, si frater *vnilateralis* adesset, ex iure *repraesentationis* in *stirpes*, ad hunc excludendum, succedere debere, cum aliis censet STRYKIVS c. l. diss. 3. c. 1. §. 12. 18. Sed ego contrariam veriorem esse credo sententiam, & in *Nou.* 118. c. 3. magis fundatam. — Ita scripseram in priori editione, & euidentissimum est, me de ea controuersa quaestione: *vtrum fratrum germanorum filii ad excludendum thium vnilateralem in stirpes ex iure repraesentationis succedere debeant, an in capita succedere possint?* agere. Posterius ego cum VOETIO c. l. §. 16. aliisque affirmaui. Igitur ex mea sententia *thii vnilateralis*, vtpote in classem *tertiam* reiecti, existentia, rationem successionis, quae fit *in capita*, inter *germanorum* fratrum filios, in classe *secunda* collocatos, mutare nequit.

Fra-

Frater ergo sororue *vnilateralis* mea ex sententia *simpliciter & iure ordinis* a fratrum *germanorum filiis* excluditur, eoque redit totum, quod proposui, systema & speciatim §. 12. reg. III. §. 20. & 78. Coecior ergo talpa fuit *Censor ille Berolinensis* in der allg. d. Bibl. P. 9. S. 38. in haec erumpens verba: Das Scholion am Ende dieses §. enthält einen garstigen Fehler. Der V. verwirft darin die Meinung, daß vollbürtiger Geschwister Kinder lebende Halbgeschwister ausschliessen sollen, und will das Gegentheil aus der Novelle 118. c. 3. erweisen. Allein hat er dieses Kap. 3. gelesen? Es enthält eben die Meinung, die er verwirft, mit dürren worten. --- Specimini loco hoc adduxi exemplum, ex quo clarissime elucet, quam turpiter se dare soleant tales vitio creati Censores. Nuperrime STRYKII sententiam recoxit PHIL. IAC. HEISLERVS V. C. in *diss.* de *fratrum germanorum filiis siue cum fratre defuncti vnilaterali siue cum fratris vnilateralis filiis, siue cum thiis defuncti concurrant, secundum* NOV. 118. c. 3. *iure repraesentationis in stirpes succedentibus.* Halae 1775. Mecum autem sentit

sentit DEINLINVS in *cit. diss.* §. 5. seqq.

Schol. II. Facile inde conficitur, vt nec fratrum *vnilateralium filii*, *in tertiam classem relati*, obstent fratrum *germanorum filiis*, quo minus *hi in capita* succedere possint. HVBERVS c. l. §. 14. SANDE in *Decis.* lib. 4. tit. 8. def. 3. DEINLIN. c. l. §. 7. seq. Dissentit HEISLERVS in *cit. diss.*

Schol. III. Hoc etiam expeditum est, quod fratrum *germanorum filii*, *patruo defuncti*, etiam *germano*, existente, *in capita* nihilosecius succedant. *Patruus* enim *defuncti* pertinet ad classem *quartam*. STRYK. c. l. §. 20. STRVV. Ex. 38 th. 34. CHRIST. MÜLBERGERI *diss.* de *praemortuorum fratrum filiis in successione ab intestato cum patruo defuncti concurrentibus.* Arg 1767. Alii putant, fratrum *germanorum filios* hoc casu *ex iure repraesentationis* ad excludendum *defuncti patruum* succedere debere. FORSTERVS c. l. lib. 8. c. 9. n. 1. seq. COCCEII c. l. qu. 5. HEISLERVS in *cit. diss.* Imo HVBERVS c. l. §. 15. in ea est opinione, quod fratrum filii

patruum defuncti plane non excludant, si vel maxime *in stirpes* succedere vellent. Sed oppido falsa est opinio, & verbis legis contraria & menti Legislatoris aduersa. HVBERVS quoque ipse fatetur, vsu fori opinionem suam singularem improbari.

CLAS-

CLASSIS TERTIA.

FRATRVM SORORVMVE VNILATERALIVM SVPERSTITVM, ET HORVM HARVMVE PRAEMORTVORVM PRAEMORTVARVMVE FILIORVM FILIARVMVE.

§. 79.

QVINAM IN HAC CLASSE VOCANTVR.

Deficientibus aſcendentibus, fratribus ſororibusque bilateralibus & horum filiis filiabusue, ſucceſſionis ab inteſtato *plene* capacibus, vocantur defuncti *fratres & ſorores vnilaterales, & horum harumue*, ſi praemortui ſunt, *filii filiaeue.* 1)

1) NOV. 118. c. 3.

§. 80.

DE IVRE REPRAESENTATIONIS IN HAC CLASSE.

Ex fratrum ſororumue vnilaterali-

lium *prole*, tantum *filii filiaeue* iure gaudent *repraesentationis*. 1). *Nepotes* ex fratribus sororibusque vnilateralibus pertinent ad classem *quartam*.

1) NOV. 118. c. 3.

§. 81.

IN QVANTVM SVCCEDATVR?

Fratres sororesque succedunt in *capita*, *filii filiaeue* eorum in *stirpes*: nisi hi *soli* inter se concurrant, quo casu succedunt in *capita*. (§. 45.). Dari tamen & in hac classe casus, vbi *fratrum vnilateralium filii*, licet *soli* hereditatem obtineant, non *in capita*, sed *in stirpes*, eam diuidunt, ex iis, quae in §. 45. late disputauimus, manifestum omnino est. Quae enim citato loco de fratribus, *germanis* eorumque *filiis* diximus, eadem ob paritatem rationis & de fratribus *vnilateralibus* eorumque filiis merito valent.

§. 82.

§. 82.

DIVERSITAS BONORVM QVANDO ATTENDATVR?

In hac classe ob l. 13. §. 2. C. de *leg. hered.*, iure *Nouellar. expresse* non sublatam, concurrentibus *consanguineis & vterinis* fratribus sororibusue, *praxis* originem bonorum respicit, & ab illis *paterna*, ab his *materna* praecipienda, *reliqua* vero bona inter eos communiter, secundum regulas traditas, (§. 81.) diuidenda esse statuit. 1) Sed contraria sententia verior est. 2) Interim vulgaris, in praxi recepta, sententia partim intelligi tantum debet de iis bonis, quae frater sororue vnilateralis defunctus ex linea paterna vel materna *immediate* accepit, non vero de iis, quae a cognatis paternis vel maternis assecutus est; partim ad fratres sororesque vnilaterales inter se concurrentes restringenda, non

vero ad *solos* eorum filios inter se concurrentes extendenda est. 3).

1) STRVV. Ex. 38. th. 35. SANDE c. l. lib. 4. tit. 8. def. 1.

2) conf. allegatos supra §. 46. & FACHINEVM in Controu. iur. lit. 6. c. 5. HVNNIVM c. I. qu. 37. HVBER. c. l. §. 13. VOETIVM c. l. §. 18.

3) STRYK. c. l. diff. 3. c. 1. §. 32. 45. LEYSER Sp. 423. m. 2. Dissentit RANCHINVS in *tr.* de *succeff. ab intestato.* c. 14. §. 13.

§. 83.

VNILATERALIS FRATER SORORVE CONSANGVINEVS ET VTERINVS.

Vulgo quidem ii, qui *vnum* tantum parentem communem habent, nominantur *vnilaterales fratres sororesque.* Sed iterum parum accurate. Ego sic definio: *fratres sororesque, qui, quaeue ab vno tantum parente quoad successionem legitimi sunt,* hoc loco

loco *vnilaterales sunt.* Et *consanguinei* dicuntur, si a *parte patris; vterini*, si a *parte matris*, legitimi ad successionem existunt. Generaliter itaque verum quidem est, quod *fratres*, diuersum *patrem* vel *matrem* habentes, non sint *germani.* Sed inde non statim sequitur, vt in *materia successionis* sint *vnilaterales.* Deinde quoque plures ab *eodem* patre cum *eadem* matre procreati, quamuis *bilaterale* inter ipsos ex generatione intercedat *sanguinis vinculum*, nihilosecius in *argumento successionis ab intestato* tantum *vnilaterales* esse possunt *fratres sororesque* e. g. plures *spurii* ab *eodem* cum *eadem* procreati in successione ab intestato *vnilaterales*, & quidem *vterini*, habentur. Falsum ergo est; quod fratres, vtrumque parentem communem habentes, statim sint *germani* s. *bilaterales* in *sensu iuris.* (§. 69.) Sunt vero *vnilaterales* sequentes.

§. 84.

VNILATERALES FRATRES SORORESQVE LEGITIME NATI.

Vnilaterales fratres ſororesue omnes ii ſunt, qui ex *iuſto* quidem coitu nati ſunt, ſed *alium patrem*, aut *aliam matrem* habent. Et prouti *patrem* communem habent, aut *matrem*; vel *conſanguinei*, vel *uterini* ſunt. Referri huc debent, *fratres ſororesue* ex *diuerſis iuſtis nuptiis*, ex *diuerſis nuptiis putatiuis*, & *ex diuerſis ſponſalibus publicis* nati. (§. 83.)

§. 85.

VNILATERALES FRATRES SORORESVE PER RESCRIPTVM PRINCIPIS PLENE LEGITIMATI AD VNIVS PARENTIS PRECES.

Inter vnilaterales quandoque locum occupat frater ſororue illegitime natus, ſed ad preces vnius parentis *plene* a Principe legitimatus, tunc ſcil. ſi ex parte alterius parentis,

rentis, qui legitimationem non simul impetrauit, successionis non fuit *plene* capax. e. g. frater *adulterinus*, aut *incestuosus*, aut ex *bigamia natus*, ad preces *patris* a principe *plene* legitimatus, est tantum frater *vnilateralis*, & quidem *consanguineus*; si ad *preces matris*, est tantum *vterinus*; & sic in similibus.

§. 86.

VTRVM LEGITIMATIO MINVS PLENA PER RESCRIPTVM FRATRES SORORESVE EFFICIAT VNILATERALES?

Legitimatio per rescriptum principis minus plena, eluit tantum *maculosam* natiuitatem quoad *publica negotia*. In *successione ab intestato* nil alterat. Ergo, illa legitimatione non obstante, fratres sororesue ex qualitate *pristina* iudicandi sunt in *successione ab intestato*.

§. 87.

VNILATERALES FRATRES SORORESVE EX CONCVBINATV.

Vnilaterales, & quidem *vterini*, habentur fratres ſororesue ex concubina, ſiue ab *eodem* ſiue a *diuerſo* patre, procreati, ideoque fratribus *vterinis* ſiue *legitime natis*, ſiue aeque ex *concubinatu*, *ſtuproue* natis, ſuccedunt. *Conſanguinei* vero non habentur in *ſucceſſionis ab inteſtato argumento*: ideoque aliis fratribus ſororibusue, *eundem* licet patrem agnoſcentibus, non ſuccedunt. e. g. *Naturales* ex *eadem* concubina ab *eodem* patre procreati; ſunt *vterini* tantum; Naturales ex diuerſis concubinis ab eodem patre procreati, *non* ſunt fratres *conſanguinei*. Idem valet etiam de *ſpuriis*. 1)

1) ANCKELMANN cit. diſſ. c. 1. §. 2. §. 7. & c. 2. §. 1. §. 12.

§. 88.

VNILATERALES EX STVPRO.

Vnilaterales, & quidem *vterini*, etiam

etiam sunt fratres sororesue, qui ex *stupro*, siue ab *eodem*, siue *a diuerso*, patre procreati sunt. Spurii tamen matris *illustris* non succedunt cum fratribus sororibusue *vnaláteralibus legitimis fratri defuncto* aeque *legitimo*. Sed ad hereditatem *fratris* aeque *spurii* cum fratribus *legitimis* vnilateralibus & fratrem alium *spurium* ab intestato admittendum censeo. (conf. §. 32. 57.) STRYKII igitur sententiam, quasi spurii matris *illustris* cum fratribus *legitimis* non succederent, in *priori* casu probo: in *posteriori* reiicio. 1)

1) STRYK c. l. diff. 3. c. 1. §. 38.

§. 89.

VNILATERALES FRATRES SORORESVE VVLGO QVAESITI.

Idem, quod iam (§. 87.) de *spuriis* dictum est, valet etiam de *vulgo quaesitis fratribus sororibusue*.

§. 90.

§. 90.

VNILATERALES FRATRES SORORESVE EX ADOPTIONE PERFECTA ET ARROGATIONE.

Vnilaterales, & quidem *conſanguinei*, ſunt fratres ex *adoptione perfecta*, aut *arrogatione* tales: nulla tamen facta a patre *adoptiuo vel arrogatore* emancipatione & fratre arrogato *impubere* mortuo. Mors patris adoptiui vel arrogatoris *agnationem* non tollit. 1).

1) STRYK c. l. §. 30. 31. 33.

§. 91.

NON SVCCEDVNT FRATRES EX ADOPTIONE IMPERFECTA TALES.

Adoptatus imperfecte, *adoptatus* etiam a femina, non fit *frater vnilateralis* ſucceſſionis ab inteſtato capax. 1).

2) l. 10. §. 1. C. de *adopt.*

§. 92.

NEC SVCCEDVNT FRATRES SORORESVE ADVLTERINI, INCESTVOSI ET EX BIGAMIA TALES.

Fratres ſororesue ex *adulterio*, *inceſtu* aut *bigamia* tales *vnilaterales* plane

plane non ſunt, ne quidem *vterini*. Ergo ſucceſſionis ab inteſtato non ſunt capaces.

§. 93.

REGVLA DE CONCVRSV FRATRVM SORORVMVE VNILATERALIVM DIVERSI GENERIS.

Hi relati hactenus fratres ſororesue *vnilaterales*, *conſanguinei* vel *vterini*, ſucceſſionis ab inteſtato capaces, ad fratrum ſororumue defunctorum *vnilateralium* hereditatem ab inteſtato admittuntur, ſiue *conſanguinei* ſint, ſiue *vterini*; ſiue ipſi ſint *legitime nati*, ſiue non; ſiue *defunctus* frater *vnilateralis* legitime natus fuerit, ſiue non; ſiue *reliqui concurrentes* fratres *vnilaterales* ſint *legitime* nati, ſiue non. Sic e. g. fratres ſororesue *legitime* nati ſuccedunt fratri ſororiue *vterino ſpurio*, etiam cum aliis fratribus *vterinis ſpuriis*. Succedunt quoque *ſpurii vterini* fratribus ſororibusue *vterinis legitime natis*, licet concurrant *alii fratres* ſoro-

ſororesue vterini legitime nati. (vid. tamen §. 88.)

§. 94.

VNILATERALIVM FILII FILIAEVE, QVI QVAEVE ADMITTANTVR.

Principium, quod in §. 77. poſuimus, repetendum, & ad *vnilaterales* accommodandum eſt.

§. 95.

SVCCESSIONVM CASVS SPECIALES IN HAC CLASSE DETERMINANTVR.

Caſus ſpeciales, in hac claſſe poſſibiles, ſunt hi:

I. Si ſimul adſunt fratres ſororesue vnilaterales & defunctorum vnilateralium filii filiaeue; *illi* in *capita*, *hi* in *ſtirpes* ſuccedunt. (§. 81.)

Schol. Eadem quaeſtio hic recurrit, quam ſupra (§. 78. IV. Schol.) expediuimus.

II. Si ſoli adſunt fratres ſororesue vni-

vnilaterales, succeditur in *capita*. (§. 81.)

III. Si soli adsunt fratrum sororumue vnilateralium filii filiaeue succeditur in *capita*. (§. 45. 81.).

Schol. Sed quid si *patruus defuncti* adesset? Nihilosecius *in capita* succesſio fit, *patruo excluso*. Patruus enim defuncti non pertinet ad *tertiam*, sed ad *quartam* classem. Repete, quae supra §. 78. schol. 3. disputata sunt. VOETIVS, licet *filios* fratrum *germanorum patruo defuncti* praeferat, negat tamen id proferendum esse ad *filios* fratrum *vnilateralium*; sed hos cum *patruis defuncti*, siue *germanis*, siue *vnilateralibus*, ad succeſſionem admittit.

CLAS-

CLASSIS QVARTA.

COGNATORVM RELIQVORVM COLLATERALIVM PROPIORVM.

§. 96.

QVINAM IN HAC CLASSE VOCANTVR.

Deficiente & *classe tertia*, successionis emolumentum deuoluitur ad *quartam*, in qua reliqui cognati, successionis ab intestato capaces, secundum proximitatem gradus vocantur. 1).

1) Nou. 118. c. 3.

§. 97.

QVINAM COGNATI SVCCESSIONIS AB INTESTATO CAPACES SINT.

Quamuis inter agnatos & cognatos discrimen sublatum sit, non tamen omnes, qui cum defuncto sanguine iuncti sunt, statim ad hereditatem eius ab intestato vocantur. Sed hic

probo

probe tenendae ſunt regulae: *Cognatus collateralis qui cum defuncto generationibus, quoad ius ſucceſſionis ab inteſtato legitimis, ſiue veris, ſiue fictis, ſiue ab initio legitimis, ſiue ex poſt legitimis factis, nexus eſt, ad hereditatem eius ab inteſtato vocatur. Cognatus vero collateralis, qui cum defuncto, vel etiam vnica generatione intermedia, quoad ius ſucceſſionis illegitima, nexus eſt, ad hereditatem eius ab inteſtato non admittitur.* Ergo hic repetenda ſunt, quae de *generationibus*, quoad ius *ſucceſſionis ab inteſtato legitimis*, dicta ſunt in ſuperioribus.

Sic e. g. *ſpurii & vulgo quaeſiti*, eorumque liberi, omnibus cognatis *maternis* ſuccedunt, & hi illis. 1)

Spurii vero & *vulgo quaeſiti* non ſuccedunt *patris* cognatis; nec hi illis.

Adulterini, inceſtuoſi cet. neque ſuccedunt *patris*, neque *matris*, cognatis; neque hi illis. (conf. §. 35.)

De *legitimatis* vide §. 74. 89. sq. 2) *Adoptiui perfecte & arrogati*, nulla emancipatione facta, *patris adoptiui perfecte* talis, & *arrogatoris*, agnatis succedunt; & hi illis. Et sic porro.

1) WERNHER T. I. P. 5. obs. 15. ANCKELMANN in cit. diss. c. 2. S. 1. §. 13. seqq. vbi contraria argumenta refelluntur.

2) PVFENDORF T. 1. obs. 241. §. 3. 4. & WERNHER c. l.

§. 98.

PROPIOR COGNATVS. EXVLAT IVS REPRAESENTATIONIS ET DVPLICITAS VINCVLI.

Vocantur vero in hac classe cognati secundum proximitatem gradus, *ciuiliter computandi*, ita, vt *propior* excludat remotiorem, omni excluso iure *repraesentationis*, & siue *bilateralis*, siue *vnilateralis* sit cognatio. (conf. *auctar. tertium.*) 1) Plures vero *gradu aequales* simul admittuntur.

1) STRYK c. l. diss. 3. c. I. §. 26. HVBER. c. l. §. 16. PVFENDORF T. II. obs. 192.

§. 99.

§. 99.

COGNATI IN INFINITVM SVCCEDVNT.

Cognati in *infinitum* succedunt ab intestato, quoto etiam gradu distent: modo nemo gradu proximiori eos antecedat. 1)

1) §. vlt. I. de *succeff. cognat.* *Nou.* 118. c. 3. §. 1. STRYK. c. l. diff. 3. c. 1. §. 28. seq. VOETIVS in *comm. ad Pand.* lib. 38. tit. 17. §. 22. PVFENDORF T. II. obf. 125. HVBER c. l. §. 16. VINNIVS *ad Inftit.* lib. 3. tit. 5. §. 5. n. 3.

§. 100.

Succeditur in *capita.* 1)

1) NOV. 118. c. 3. §. 1. conf. tamen *Auctarium tertium.*

§. 101.

Bonorum diuerfitas non attenditur. 1)

1) STRYK c. l. diff. 3. c. 1. §. 25. RANCHINVS in *tr.* de *fucceff. ab int.* c. 14. §. 13.

SECTIO III.

DE SVCCESSORIO EDICTO.

§. 102.

DE SVCCESSORIO EDICTO.

Postquam *Successorium edictum* a IVSTINIANO in successione ab intestato plenissime est introductum 1), non solum successio *ordinum* locum habet, sed & in *eodem ordine*, si *proximus*, qui ad hereditatem vocatur, aut *spreuerit* hereditatem, aut *antequam* adeat, *decesserit*, gradus *sequens* ius successionis intestatae sibi arrogare potest. Et hoc ius in *descendentibus*, *ascendentibus* & *collateralibus* obtinet; quamuis non aequali ratione: quae differentia iuri *repraesentationis* debetur. Nimirum in *descendentibus* iuri *repraesentationis* in *infinitum* datur locus, & sufficit in *illa linea proximiorem* non adesse, quam-

quamuis in *alia* linea *propior* gradus adſit. *Aſcendentes* iure *repraeſentationis* plane non gaudent, & inter *collaterales* vltra *fratrum filios* id non extenditur.

Si ergo is, qui tanquam *proximus* ad hereditatem *legitimam* vocabatur, antequam adeat, 2) deceſſerit, tum *gradus ſequens* admittitur, & in linea quidem *deſcendente vniuerſaliter* ob ius *repraeſentationis*, licet in *alia linea* adſint *gradu propiores* deſcendentes. In *aſcendentibus* autem *gradus ſequens* tum demum admittitur ſi vel *ſolus* eſt, vel per gradum *propiorem* in *alia linea* non impeditur. e. g. *Pater*, qui mortuo filio *ſolus proximus* eſt, antequam adit, decedit. Adeſt *auus*, ſiue *paternus*, ſiue *maternus*, qui ad hereditatem admittitur. Fingamus vero adeſſe *patrem & matrem*. *Pater*, antequam adit, moritur. *Auus paternus* ſucceſſorio edicto non iuuatur, quia per *matrem* impeditur.

Ceterum hoc notes, concurrentes *fratres germanos* aut *horum filios* ſucceſſionem gradus in *aſcendentibus* in *hoc caſu* non impedire. eg. cum defunctus moritur, adſunt *pater, auus paternus & maternus, & frater germanus.* Ad hereditatem lex vocat ex *aſcendentibus* proximum, qui *pater* eſt, excluſis *auis, & fratrem* germanum. Sed *pater*, antequam adit, decedit. *Fratri germano* nihil accreſcit, ſed ad portionem *patri delatam* nunc vocatur *vterque auus*, tanquam in *ſequente gradu* conſtituti. Denique in linea *collaterali* inter *fratrum filios & ceteros collaterales* cognatos diſtinguendum eſt. Sumamus, defunctum duos *fratres* reliquiſſe. *Vnus* horum, antequam adit, moritur, relictis tamen *filiis. Fratri* hic nihil *accreſcit*, ſed ad portionem vacantem *defuncti fratris filii* iure *repraeſentationis* admittuntur. In *reliquis* vero, *vltra fratrum filios*, cognatis *gradus ſequens* non aliter admittitur, quam

ſi

ſi *ſolus* nunc eſt, & *propiore gradu* non impeditur. Vt exemplo rem illuſtrem: Adſunt tempore mortis duo *patrui*, *proximi* defuncto cognati, ideoque ad hereditatem defuncti patruelis vocati. *Vnus*, antequam partem ſuam adit, decedit relictis *liberis*. Hi *liberi* portionem *patri* ſuo delatam non accipiunt, ſed illa *patruo alteri* accreſcit, qui nunc ex aſſe heres fit. Ratio in eo ſita eſt, quia patruus in *tertio*, *liberi* vero *defuncti patrui* in *quarto* gradu conſtituti ſunt, ideoque *tertius* gradus impedit, quo minus *quartus* ad hereditatem vocari queat, iure etiam *repraeſentationis* in hoc caſu ceſſante.

Succedit alter caſus, ſi is, qui tanquam *proximus* ad hereditatem vocatur, illam *repudiat*. Verum quidem eſt, & hoc caſu *gradum ſequentem* admitti, ſed hoc cum *diſtinctione* accipiendum eſt. Si repudians *ſolus proximus* fuit, eo repudiante,

gradus sequens indistincte, siue in *eadem*; siue in *diuersa linea*, admittitur, siue inter *descendentes*, siue *ascendentes*, siue *collaterales* cognatos casus contigerit. e. g. si vnicum *filium* concipias, ab hereditate *patris* abstinentem, & ex eo *nepotem* adire cupientem; vel vnicum *quarti* gradus cognatum, defuncto *proximum* & successionem repudiantem, ac *filium* eius, defuncto coniunctum in *quinto* gradu. Quo tamen casu non dubium, quin is *filius*, si alii praeter eum adsint cognati defunctum in eodem gradu *quinto* contingentes, *non solus*, sed *vna cum iis* pro parte *virili* succedere debeat: quippe non ex parentis repudiantis, sed proprio capite considerandus.

Si autem *alii* existunt, qui cum repudiante, vtpote qui *solus* proximior non erat, vel in *capita* vel *in stirpes* succedendo concurrere poterant, tum *successorium edictum* cessat, nec *gradus sequens* in locum repudiantis

tis admittitur, sed repudiantis portio reliquis *coheredibus accrescit.* 3) Fingas, praeter *filium* a parentis sui hereditate abstinentem, *alios filios*, vel ex *filiis* praedefunctis *nepotes*, ad eandem fuisse vocatos hereditatem. Quo casu his, *excluso* filii repudiantis filio, repudiantis portio *accrescit*, dum filius ille repudiantis ex iure *repraesentationis* (§. 12. reg. 2.) eam occupare non potest, & ita per *filios reliquos* defuncti vere in *primo* gradu constitutos, vti & per aliorum praedefunctorum *nepotes*, *repraesentationis* fictione in *primo* gradu positos, tanquam *remotior* excludendus est. Pari ratione inter *ascendentes* res decidenda est. e. g. *patre* & *matre* superstitibus, illo repudiante, *auus paternus* non succedit, sed hunc *mater* excludit, iure *accrescendi* nunc ex asse heres. Aliud exemplum: *Pater* & *frater germanus* adsunt. Ille repudiat. Non succedit *auus paternus*, quippe per *patrem* excluſus,

ſed *ſolus frater germanus* heres exiſtit. Adhuc aliud: *Pater* cum *fratre* defuncti *germano*, aut *praemortui fratris germanis filiis* concurrit. *Pater* repudiat. Adeſt *auus maternus*. Hîc ad ſucceſſionem non admittitur, vtpote per *patrem* defuncti excluſus, ſed tota hereditas ex *accreſcendi* iure nunc pertinet ad *fratrem*, aut ad *praemortui fratris germani filios*. Simili modo iudicandum eſt, ſi *frater* cum *fratre* vel *praemortui fratris filiis* in ſucceſſione concurrens repudiat; quem caſum propoſuimus in §. 78. n. IV. Schol. Porro: ſi *vnus* ex pluribus, v. c. *quarti* gradus, cognatis *delatam* ſibi pro ſua parte repudiaret cognati hereditatem, *reliqui gradus quarti* cognati *ſoli* ad *totam* hereditatem ex *accreſcendi* iure admittendi forent, excluſuri *repudiantis filium*, tanquam gradu *remotiorem*.

1) §. 7. I. de *legit. agnat. ſucceſſ.* ibique *Interpretes*. Hiſtoriam *ſucceſſorii edicti* dedit IO. THEO-

THEOPHIL. SEGERVS in *diff.* Lipſiae ventilata 1769.

2) Supponendum eſt, I.) proximum heredem qui *ante additionem* deceſſit, non eſſe *ſuum* heredem. Huic enim *ipſo iure* adquiritur hereditas, ideoque *ſucceſſorio edicto* locus non datur; ſed *ſuus* heres, etiamſi ſe nondum *immiſcuerit*, vel totam hereditatem vel partem ſuam ad quemlibet heredem transmittit. (repete hic dicta in Schol. III. ad §. 1.) II.) Heredis *proximi*, qui *delata* quidem, ſed nondum *adita* hereditate, deceſſit, heredes nullo *transmiſſionis* iure in praeſenti caſu gaudere. Si enim *ius* quoddam *transmiſſionis* in praeſenti caſu obtinet, heredis heredes ad hereditatem, quae illi *delata* eſt, admittuntur, *ſucceſſorio* aeque *edicto*, ac *iure accreſcendi* ceſſante.

3) conf. ANT. MATTHAEVS de *ſucceſſ.* Diſp. 12. §. 4. & 24. IO. a SOMEREN in tr. de *repraeſent.* c. 1. S. 1. n. 8. & 9. & c. 3. S. 1. n. 2. IO. VOETIVS c. l. lib. 38. tit. 17. §. 3. Diſſentit ſuo modo VALENT. FORSTERVS c. l. libr. 8. c. 9. concl. 3. qui erroneam alit opinionem: repudiare hereditatem, & praemortuum eſſe, paria eſſe.

SE-

SECTIO IV.

DE SVCCESSIONE AB INTESTATO COGNATORVM EX IVRE SAXONICO.

TRANSITVS AD IVS SAXONICVM.

Actum hactenus est de *successione ab intestato cognatorum* ex NOV. 118. Paucis *ius Saxonicum*, quod *tres* cognatorum *classes* constituit, (§. 19.) subiiciemus.

CLASSIS PRIMA.

DESCENDENTIVM.

§. 103.

QVID IN ILLA IVRIS?

Omnia, quae in antecedenti *Sect.* eiusque *classe prima*, de successione *descen-*

descendentium ex iure *Iustinianeo* proposita sunt, valent & de *iure Saxonico*. In eo *ius Saxonicum* a *Iustinianeo* discedit, quod illud res *expeditorias*, das Heergeräthe, *filiis*; & res *vtensiles*, die Gerade, *filiabus*, vt cuiusque sexus liberis proprias, adiudicet. Quod etiam suo modo obtinet inter reliquos *agnatos* & *cognatos*. 1)

1) GOTTFR. BARTH von der Grade Leipzig 1721. GOTTFR. AVG. HOFEMANN von der Gerade und dem Heergeräthe. Frfurt und Leipzig 1733. GEORG. AD. STRVVIVS in *Notis* & *Obseruat.* ad MATTHAEVM de successionibus pag. 401. seqq. IO. GOTTFR. SCHAVMBVRG in der Einleitung zum Sächsischen Rechte Dresden und Leipzig 1743. part. 3.

CLAS-

CLASSIS SECVNDA.

ASCENDENTIVM.

§. 104.

QVID IN ILLA IVRIS?

Apud *Saxones* ſecundo loco *ſoli aſcendentes*, excluſis omnibus collateralibus, ſuccedunt. 1) Quae vero in *ſuperiori ſectione* eiusque *claſſe ſecunda* de aſcendentibus, ſucceſſionis ab inteſtato capacibus, praecepimus, ea & in *Saxonia* valent. Ibi quoque *proximior* excludit *remotiorem*, licet in *diuerſa linea*. Semper ſuccedunt in *lineas* ſ. *genera*. *Origo* bonorum nec in Saxonia in hac claſſe ſpectatur. 2)

1) I. P. S. lib. 1. art. 17. RICHTER de *ſucceſſ. ab int.* S. 2. m. 1. n. 3.

2) SCHMIDIVS in cit. diſſ. c. 2. §. 6. ſeqq.

CLASSIS TERTIA.

COLLATERALIVM.

§. 105.

QVID IN EA IVRIS?

Deficientibus omnibus ascendentibus, successionis ab intestato capacibus, ad *collaterales* denique successio deuoluitur secundum proximitatem gradus vnice hic respiciendam. Exulat igitur inter collaterales ius *repraesentationis*, sed *ciuiliter* computandi sunt gradus. *Propior* enim *gradu* excludit *remotiorem; & gradu aequales* simul admittuntur in *capita*, sine *distinctione bonorum*. In computando vero gradu obseruanda est regula: die halbe Geburt tritt einen Grad weiter. Quae regula, *vtrum ad solos fratres eorumque filios spectet: an etiam ad remotiores collaterales pertineat?* a longo iam tempore disputandi materiam praebuit. In *Saxonia* vniuersaliter accipitur. 2) Alibi

Alibi eam vltra fratres eorumque filios non extendendam esse putarim. 3) *Ius Saxon. commune* superiori regulae stricte inhaeret, eoque iure neque *filii* fratrum *germanorum*, neque *frater vnilateralis* excludunt *defuncti patruum germanum*. Quod tamen *iure Saxon. elect.* aliter se habet. 4)

1) P. 3. C. 14.

2) CARPZOVIVS P. 3. c. 18. def. 24. BERGERVS in *oec. iur.* lib. tit. 4. §. 39. n. 5. WERNHER T. II. p. 6. obs. 382.

3) conf. FRID. ESAIAS PVFENDORFIVS T. II. obs. 192. 193. BROKES obs. 8. 10. VLRICH *Freyherr von* CRAMER in den Wetzlarischen Nebenstunden 6ter Theil n. 6. vbi de controuersia inter KROHNIVM & BACMEISTERVM agitata.

4) RICHTER in *tr.* de *succeff. ab int.* S. 3. m. I. n. 64. 75. m. 4. n. 14. STRVV. in *iurispr. for.* lib. 2. tit. 30. §. 18. 20.

SE-

SECTIO V.

DE SVCCESSIONE AB INTESTATO EX SPECIALIBVS CAVSSIS.

§. 106.

ORDO DICENDORVM.

Deficientibus omnibus collateralibus, succeſſionis ab inteſtato capacibus, ex *cauſſis ſpecialibus ante fiſcum* ad hereditatem vel *integram*, vel *res quasdam* ex illa, quidam vocantur.

§. 107.

I. SOCIVS LIBERALITATIS IMPERIALIS.

Si quis forte ex his, quibus communiter a principe aliquid donatum eſt, nullo herede relicto deceſſerit, ad conſortem potius ſolatium, quam ad perſonam ALIAM *pars decedentis peruenit*, ſunt verba l. *vn. C. ſi liberal. imper. ſoc. ſine hered. deceſſ.* Alii

hanc legem ex l. 1. C. THEOD. *si petit. soc. sine hered. defec.* explicant, verba: *nullo herede*, ad *testamentarios & liberos* restringentes & sub *persona alia*, quamcunque, quae nec *testamento* instituta, nec ex numero *liberorum* est, intelligentes. 1) Ex quorum ergo sententia socius liberalitatis imperialis, quoad partem decedentis, in successione ab intestato proximum post liberos locum occupat, & ascendentes, multo ergo magis collaterales cognatos, praecedit. Alii vero ad l. 3. C. THEOD. eod. tit. prouocant & verba: *nullo herede* generaliter accipiunt, socium liberalitatis imperialis deficientibus demum omnibus cognatis, successionis ab intestato capacibus, admittentes: quorum sententia verior mihi videtur. 2)

Ceterum pars vacans ad socium iure *accrescendi* potius, quam iure *successionis*, peruenit. 3)

Hoc

Hoc tamen facile admitto, ſocium liberalitatis imperialis in parte decedentis tam *coniugi*, quam *collegio*, praeferendum eſſe. 4)

1) PEREZ ad *Cod.* cit. tit. n. 12. BERNHARD. LVDOVICVS MOLLENBECIVS in *diſſ.* de *imperialis liberalitatis ſocio* c. 3. §. 3. ſeqq.

2) STRYK c. l. diſſ. 5. c. n. §. 29.

3) ROMANVS TELLERVS in *Progr.* ad RICHTERI *diſſ.* de *iure theſauri a mercenario inuenti.* Lipſ. 1773. p. 8. ſeq.

4) PEREZ c. l. n. 13. Diſſentit TELLERVS c. l. p. 11.

§. 108.

II. CONIVX SVPERSTES: NON SPONSVS SPONSAVE.

Si diſcedimus ab illo caſu, (§. 107.) ad hereditatem vocatur coniux ſuperſtes, etiam *putatiuus* in b. f. exiſtens, ſiue *vxor*, ſiue *maritus* ſit: modo vsque ad mortem durauerit matrimonium, nec alia ex cauſſa ſucceſſione hac ſe indignum fecerit

coniux. 1) *Separationem* quoad *thorum & mensam* non impedire coniugum successionem quidam statuunt. 2) Contra alii coniugem *nocentem* repellunt. 3)

Sponsum sponsamue, etiam de *praesenti tales*, ad hanc successionem non admittendos esse censeo: 4) nequidem apud *Catholicos*, quum ex omnium *Canonistarum* sententia per *Conc. Trid.* Sess. 24. de *reform. matr.* c. 1. *sponsalia de praesenti* sublata sint. 5) Hoc certum est, quod iure *communi* ad huius successionis commodum *copula carnalis* non requiratur. 6)

1) ANTON MATTHAEI de *succes.* c. 15. ibique STRVVIVS. STRYK c. l. diss. 4. c. 1. §. 9. seq. IMMAN. WEBERVS in *diss.* de *successione coniugis superstitis pauperis*. Giessae 1718.

2) CARPZOVIVS P. 3. C. 26. def. 17. WERNHER T. II. P. 6. obs. 325. GEORG. LVDOV. BOEHMERVS in *princ. iur. can.* §. 463. BROKES obs. 34.

3) STRY-

3) STRYKIVS c. l. §. 9. & IMMAN. WEBERVS in *diss.* cit. c. 6. §. 5. de CRAMER in den Nebenst. P. 76. p. 115. sq. conf. LVDOVICI *diss.* de *succeſſ. coniugis deſerentis* & HARPRECHT *diss.* de *communione lucrorum coniugalium inter coniuges ſeparatas* in *Vol.* II. *diss.* n. 81.

4) BOEHMER de *diuerſo ſponſal. & matrimonii iure* c. 3. §. 24. Diſſentiunt plures, STRYK c. l. diſſ. 4. c. 1. §. 8. WEBER c. l. c. 5. §. 1. HVBER. in *Prael. ad Pand.* tit. 23. tit. 1. §. 21.

5) Vide modo ENGELIVM in *Colleg. iur. can.* lib. 4. tit. 1. n. 2.

6) HVBER. c. l. & *lib.* 38. tit. 11. SCHELKENS c. l. c. 5.

§. 109.

CONIVGIS SVCCESSIO AB INTESTATO DVPLEX.

Sed *coniugis* ſucceſſionis ab inteſtato *duplex* eſt ratio. Aut enim *defunctus* coniux eſt *locuples* & *ſuperſtes pauper*; aut non.

§. 110.

SVCCESSIO CONIVGIS PAVPERIS

Iure nouiſſimo coniux ſuperſtes pauper, ſiue *maritus*, ſiue *vxor*, 1) ſuccedit *locupleti*, etiam cum *deſcendentibus*, nedum cum *aſcendentibus* & *collateralibus*. 2)

1) NOV. 53. c. 6. STRYK. c. l. diſſ. c. 1. §. 42. STRVV. Ex. 38. th. 39. HVBER. c. l. §. 18. Quoad *maritum* diſſentiunt CVIACIVS, RITTERSHVSIVS, GVDELINVS & VOETIVS c. l. §. 24. ob NOV. 117. c. 5. in f.

2) NOV. 53. c. 6. NOV. 117. c. 5. *auth.* praeterea C. *vnde vir & vxor.* STRYK c. l. diſſ. 4. c. 1. §. 16. ſeqq. PVFENDORF. T. III. obſ. 177. IMMAN. WEBERVS in cit. *diſſ.* HERMAN. MANECKE in *diſſ. de ſucceſſione coniugum in concurſu cum liberis diuerſi matrimonii, ſpeciatim hamburgenſi.* Goett. 1758. Strube in den rechtl. Bedenken P. II. n. 58.

§. 111.

§. III.

QVIS CONIVX LOCVPLES? QVIS PAVPER?

Quis coniux *locuples* dici possit? accurate definitum non est, sed ab arbitrio iudicis pendet, qui eo respicere debet: an substantia defuncti tanta sit, quae sustentationi congruae & heredum & ipsius coniugis superstitis sufficiat. 1)

Deinde, quis coniux *pauper* vocandus sit? varie sentiunt Doctores. Ego illis assentior, qui eum pauperem vocant, qui de suo se honeste & dignitati suae conuenienter sustentare nequit. 2) Hoc certum est, quod non requiratur *nouissima inopia* aut *extrema necessitas*. 3) Iudicanda est haec paupertas ex tempore mortis coniugis *locupletis*. 4) Nec hac successione priuandus est coniux, qui vitae subsidia labore suo adquirere potest; 5) quamuis coniux, *parentem diuitem* habens, excludendus sit. 6)

1) STRYK c. l. §. 17. seq. WEBER cit. *diss.* c. 3. §. 6. seqq. Strube c. l.

2) vid. STRYK c. l. §. 19. PVFENDORF. c. *obs.* LEYSER sp. 424. m. 1. seqq. SCHELKENS de *successione ab int.* c. 5. WEBER in cit. *diss.* c. 3. §. 7.

3) Strube c. l. §. 1. LEYSER c. l.

4) STRYK c. l. §. 24.

5) STRYK c. l. §. 20. dissent. SCHELKENS c. l.

6) Strube c. l. §. 3. LEYSER c. Sp. m. 3. VOETIVS c. l. §. 24.

§. 112.

QVANTVM ACCIPIAT, ET QVO IVRE?

Coniux superstes pauper cum *tribus paucioribusue* cognatis, siue *liberis*, siue *parentibus*, siue *collateralibus*, defuncti concurrens, 1) *quartam*; cum *quatuor pluribusue*, *virilem* partem: Et quidem cum *liberis* aut *nepotibus propriis*, iure tantum vsusfructus; cum *priuignis aliisue cognatis*,

tis concurrens, iure pleno eam adquirit. Si vero *liberi nepotesue* ante parentem moriuntur, proprietas plena ad parentem spectat. 2) Imo coniux locuples ne *testamento* quidem eam portionem minuere potest. 3) Imputantur vero in hanc quartam dos & legata. 4)

1) STRYK c. l. §. 41.

2) FACHINEVS in *Controu. iur.* lib. X. c. 72. STRVV. c. l. th. 39.

3) STRYK c. l. §. 29. VOETIVS c. l. §. 24. SCHELKENS c. l. LEYSER c. Sp. m. 9. Dissentit SIXTINVS in *Consil. Marb.* Vol. I. Cons. 14.

4) *Nou.* cit. & *auth.* cit. STRYK l. c. LEYSER sp. cit. m. 8. seqq.

§. 113.

VTRVM QVARTAM IVRE HEREDITARIO ACCIPIAT?

Coniux *pauper* hanc quartam non accipit *iure hereditario*, sed *speciali*

legis *beneficio*; nec gaudet *iure accreſcendi*; nec ius petendae quartae ad heredes transmittit. 1)

1) STRYK c. l. §. 26. ſeqq. WEBER c. *diſſ.* c. 3. §. 11. PVFENDORF cit. *obſ.*

§. 114.

SVCCESSIO CONIVGIS, SI DEFVNCTVS AVT NON EST LOCVPLES, AVT SVPERSTES NON INOPS.

Si vero coniux *defunctus non* eſt *locuples*, aut *ſuperſtes non* eſt pauper, coniux coniugi ſecundum *ius Romanum* non aliter ſuccedit ab inteſtato, quam omnibus cognatis, ſucceſſionibus ab inteſtato capacibus, deficientibus. Quo caſu *Praetor* coniugem ſuperſtitem, tam *maritum*, quam *vxorem*, ex edicto *vnde vir & vxor* ad *integram* defuncti coniugis hereditatem vocat; eumque *agnita intra centum* dies, a tempore ſcientiae currere incipientes, bonorum poſſeſſione, conſtituit *bonorum poſſeſſorem edictalem*, heredi legitimo non abſi-

abſimilem. 1) Et cum *coniugi* legibus nouis neque ſucceſſio data, neque *ius praetorium* mutatum aut abrogatum ſit, ideoque coniux praetorio tantum auxilio ad hereditatem adſpirare poſſit; omnino par eſt, cum STRYKIO 2) BERGERO 3) WERNHERO 4) *aliisque*, ſtatuere, hodieque bonorum poſſeſſionem intra C. dies petendam eſſe; alioquin, hoc tempore elapſo, coniugem non amplius admitti, illumque ſibi imputare oportere, quod hunc terminum praeterlabi paſſus fuerit.

1) §. 3. I. de B. P. l. vn. D. l. vn. C. *vnde vir & vxor.*

2) c. l. diff. 4. c. 1. §. 4. 7.

3) in *Oec. iur.* lib. 2. tit. 4. §. 42. n. 1.

4) T. III. P. 2. obſ. 391.

Schol. De ſucceſſione coniugum ex *ſtatutis*, quia haec ad ius *commune* non pertinet, & varii admodum tenoris ſunt, hoc loco tacendum eſſe melius duxi. PESTEL. *tr.* de *ſucceſſ. inter coniug. ab inteſtato.* Rint. 1745.

§. 115.

§. 115.

III. COLLEGIA ET CORPORA PRIVILEGIATA.

Neque coniuge legitimo exiſtente, hereditas collegiati & corporati deuoluitur ad collegium corpusue, tali *priuilegio* ornatum. 1) Iure *communi* eiusmodi priuilegium vindicatur:

a) *Eccleſiis* in bonis *clericorum* cuiuscunque ordinis, iure *collegii*, non *fiſci*. 2) *Eccleſiae* iure vtitur quoque *xenodochium* in bonis *beneficiatorum ſuorum*; niſi *fundationis lex*, aut *priuilegium*, aut *obſeruantia* xenodochio *ius potius tribuat*. 3)

b) *Academiis* in bonis Profeſſorum & omnium ciuium academicorum. 4) *Noſtra academia* hoc priuilegio plus vice ſimplici vſa eſt. 5)

c) *Vexillationi* in bonis militis. 6)

Reliqua collegiorum priuilegia in iure

iure romano obuia recenſere operae pretium non eſt, cum ad ſtatum noſtrae reipublicae minime quadrent. 7)

1) STRYK. diſſ. 5. c. 1. §. 37. ſeq. ROMAN. TELLERI *Progr.* de *iure ſucceſſionis collegiis dato*, Lipſ. 1773. Diſſent. STRVV. ad MATTH. de *ſucceſſ.* c. 11. §. 18.

2) l. 20. C. de *epiſc.* & *cler.* IVST. HENN. BOEHMERVS in I. E. P. T. 2. lib. 3. tit. 27. §. 17. IO. GOTTL. BRENDELIVS in *diſſ.* de *ſucceſſione eccleſiae in miniſtri ſui bona vacantia.* Ienae 1749.

3) STRYK. c. l. diſſ. 5. c. 1. §. 39. LYNKER Vol. I. reſp. 138. Eiſenhart in den Rechtshändeln P. 2. n. 7. Orth in den Rechtshändeln P. 9. n. 1.

4) STRVVIVS ad MATTH. de *ſucceſſ.* c. 15. §. 39. VOETIVS c. l. §. 31. in f.

5) *Statuta Acad. Gieſſenſis* tit. 12.

6) l. 2. C. de *hered. decur.* VOETIVS de *iure milit.* p. 230.

7) vide

7) vide interim STRYK c. l. §. 32. seqq. & TELLER. in *cit. progr.*

§. 116.

IV. QVI FVRIOSVM, AB HEREDIBVS AB INTESTATO NEGLECTVM, PRAEVIA ATTESTATIONE, SVSCEPIT, ET AD FINEM VITAE SVMTIBVS PROPRIIS PROCVRAVIT.

Casum hunc specialem continet NOV. 115. c. 3. §. 12. vbi dispositio IVSTINIANI legi potest. Hoc saltem addo, quod illa sanctio etiam ad *collegia priuilegiata*, furiosum collegiatum & corporatum, cuius potiundae hereditatis spem habuerunt certam, praeuia attestatione, negligentia, me iudice, extendi mereatur. Certe ad *coniugem* eam pertinere, nemo dubitabit.

§. 117.

VLTIMO FISCVS VENIT.

Si nullus horum adest, excluso *tutore*, 1) fiscus bona *vacantia*, praeuia citatione edictali, occupat. 2) Hoc ius

ius fiſci in plurimis Germaniae prouinciis iis conceſſum eſſe ſolet, quibus *iurisdictio criminalis* competit, vt hoc etiam emolumento onera illius iurisdictionis compenſentur.

1) STRYK. c. l. diſſ. 5. c. 1. §. 41.

2) l. 1. pr. de *ſucceſſ. edict.* l. 1. 4. C. de *bon. vacant.* l. 1. §. 2. D. de *iure fiſci.* HENR. COCCEII in *diſſ.* de *bonis vacantibus* IO. ERNESTVS SPIELMANNVS in *diſſ.* de *ſucceſſione fiſci.* Arg. 1702.

§. 118.

VTRVM FISCVS SIT HERES.

Alii fiſcum heredem, & niſi inuentarium confecerit, vltra vires hereditatis eum ſoluere obligatum eſſe, aiunt. 1). Alii heredis qualitatem negant, &, licet inuentarium confectum non ſit, non vltra vires hereditatis fiſcum teneri cenſent. 2)

1) STRYK. c. l. diſſ. 5. c. 1. §. 45. ſeqq.

2) SCHELKENS c. l. c. 6. PVFENDORF. T. III. obſ. 14. §. 22.

§. 119.

§. 119.

FISCVS AN DEBITA, LEGATA ET FIDEICOMMISSA PRAESTET?

Fiſcum ad debita defuncti ſoluenda obſtrictum eſſe, nemo negat. 1) Ponamus vero, tabulas teſtamenti eſſe deſtitutas, & hereditatem, nullo alio herede exiſtente, ad fiſcum deuolui. Fiſcusne legata fideicommiſſaue praeſtare tenetur? praeſertim cum clauſula codicillaris, etiamſi expreſſe adiecta non ſit, tacite in foris noſtris ſubintelligatur. Placet affirmans ſententia. 2)

1) l. 31. pr. D. *fol. matr.* l. 6. D. de *iur. fiſci.*
2) STRYK. c. l. §. 50. ſeqq. VOETIVS c. l. §. 28. FACHINAEVS *controu.* lib. 6. c. 22. Diſſent. poſt alios SCHELKENS c. l.

§. 120.

SI PLVRES FISCI CONCVRRVNT.

Quidam eam fouent ſententiam, quod fiſcus *domicilii* omnia *mobilia* accipiat; *immobilia* vero fiſcis *rei ſitae*

tae cedant. 1) Alii, ſine *diſcrimine bonorum*, quemlibet fiſcum bona, quae intra diſtrictum ſuum inueniuntur aut ſita ſunt, occupare poſſe cenſent: quae ſententia verior eſſe videtur. 2)

1) STRYK c. l. §. 47. ſeqq.

2) VOETIVS c. l. §. 29. PVFENDORF T. III. obſ. 14. §. 22. ſeqq.

§. 121.

QVO TEMPORE HOC IVS FISCI AMITTATVR?

Ius fiſci hereditatem tanquam vacantem occupandi amittitur *quadriennio*, ſiue bona *nunciata* fiſco ſint; ſiue *nondum nunciata*. 1)

1) STRYK c. l. §. 57. HVBER c. l. §. 21.

SECTIO VI.

DE SVCCESSIONE AB INTESTATO PRAETORIA.

§. 122.

BONORVM POSSESSIO AB INTESTATO.

De *bonorum possessione* meas iam generatim aperui cogitationes in *diss.* de *foro heredis* pag. 9. seqq. in quibus adhuc persisto. Definio B. P. *in genere* per *ius, quod praetor, lexue noua ad praetoris similitudinem, in hereditatem concedit, iure ciuili incognitum.* Nunc hoc ius vel *iuri hereditario ciuili quoad effectus est simile, & nomine ab eo tantum differt*; vel *quieta tantum, vsque dum id, quod in dubio haeret, eo vacare desinat, hereditatis possessio, ex praesumto iure hereditario, ad effectum alimenta ex hereditate percipiendi, conceditur.*

Si

Si prius, eſt *edictalis*; ſi poſterius *decretalis eſt B. P.*

Edictalis vel *contra tabulas*, vel *ſecundum tabulas*, vel *ab inteſtato* datur.

De *poſteriori* quaedam *delibabimus* hoc loco. Diu enim promiſſum *libellum ſingularem* de *Bonor. poſſeſſione*, a quo perficiendo concatenati me hactenus impediuere labores, adhuc praeſtare animus mihi eſt.

§. 123.

SCOPVS PRAETORIS IN DANDA B. P. EDICTALI.

Initio admonendi ſumus, praetorem, paullatim aſperitatem *iuris ciuilis* corrigentem, ſiue quod illi deerat, implentem, humano propoſito alium ordinem ſucceſſionis ab inteſtato *ſuis edictis* conſtituiſſe; cuius rei ſcopus *primarius* fuit, tales perſonas ad haereditatem admittere, quae *iure ciuili neglectae* erant. Deinde

inde *vltra* ſcopum primarium praetor exſpatiatus, eos etiam *honorario iure* ad B. P. vocauit & commodorum praetoriae ſucceſſionis, ſi deſiderant, participes reddidit, ad quos hereditas ex iure quoque ciuili pertinet. Ideoque vel *impugnandi emendandiue* veteris iuris, vel *magis confirmandi* gratia praetor pollicitus eſt B. P. *edictalem.* 1) Ex quo fluit, quod illae perſonae, quae *ſolo iure honorario* ad hereditatem peruenire poſſunt, vtpote iure ciuili excluſae, non aliter hereditatem obtinere queant, quam agnita B. P. Ii vero, ad quos, remota quoque B. P., hereditas ex iure ciuili pertinet, praetoris adiumento *abſolute* haud indigent. Edictorum autem, quibus praetor ad ſucceſſionem ab inteſtato vocauit, *quatuor* adhuc obtinent ex IVSTINIANI conſtitutione, nempe: *vnde liberi, vnde legitimi, vnde cognati, vnde vir & vxor.* Reliquae enim quatuor bonorum poſſeſſiones ab inteſtato

teſtato, nempe: *Vnde decem perſonae, Tanquam ex familia, Pro patronis, Pro cognatis manumiſſoris* ſ. *imaginarii emtoris illius*, iure nouo abolitae, & ne quidem in Pandectas relatae ſunt. 2)

1) pr. I. de B. P.

2) vid. *tit.* I. de B. P.

§. 124.

EDICTVM VNDE LIBERI.

Per edictum *vnde liberi*, praetor primo loco *liberis*, tam *ſuis*, quam *emancipatis naturalibus*, in *familia adoptiua* tempore *mortis* patris aut aui *naturalis* non exiſtentibus, B. P. dat. *Adoptiuis emancipatis* quoad hereditatem *patris olim adoptiui* B. P. non datur. 1) Quo loco notandum eſt, quod *emancipatus* filius, cuius liberi in poteſtate *aui* manſerunt, cum his ad hereditatem patris a praetore vocatus ſit. 2)

 1) §. 4.

1) §. 4. I. de *exhered. liberor.* §. 10. 11. 12. I. de *hered. quae ab inteſt. defer.* l. 1. §. 6. l. 4. D. *vnde liberi.*

2) *tot. tit.* D. de *coniung. cum emancip. liber.*

§. 125.

EDICTVM VNDE LEGITIMI.

Hoc edicto praetor ſecundum proximitatem gradus ſub nomine *legitimorum* vocat *agnatos* eosque *cognatos*, qui & *iure ciuili* ex legibus ſiue antiquis, ſiue recentioribus, Senatusue conſultis, heredes eſſe poſſunt; adeoque etiam *matrem*, quae ex Tertulliano ſuis liberis, & *liberos*, qui ex Orphitiano ſuae matri, heredes eſſe poſſunt. Imo, ſi *ſui* neglexerant B. P. ex edicto *vnde liberi*, adhuc ad eam, quae eſt *vnde legitimi*, admittebantur. 1)

1) *tot. tit.* D. *vnde legitimi.*

§. 126.

§. 126.

EDICTVM VNDE COGNATI.

Hoc edicto praetor vocabat *cognatos iure ciuili* in ſucceſſione *neglectos*, *proximitatis* nomine. Quo tamen nomine iis ſolis praetor promittit B. P., qui vsque ad *ſextum* gradum cognationis ſunt, & ex *ſeptimo* ſobrino ſobrinaque nati nataeue. 1) Sciendum quoque eſt, quod, qui bonorum poſſeſſionem *vnde liberi* & eam, quae *vnde legitimi* eſt, petere poterant, ſed neglexerant, ad B. P. *vnde cognati* adhuc admittantur. 2)

1) §. 5. I. de *ſucceſſ. cognat.*

2) *tot. tit.* D. *vnde cognati.*

§. 127.

EDICTVM VNDE VIR ET VXOR.

Denique his omnibus deficientibus, vocabatur *vir & vxor*: de quo iam actum eſt. §. 114.

§. 128.

TEMPVS PETENDAE BONORVM POSSESSIONIS.

Praetor neminem *ipso iure* efficit B. P., sed a *quouis* agnoscenda est. 1) *Liberis & parentibus* in petenda bonorum possessione *generaliter & ex omnibus caussis, anni* spatium; ceteris autem *agnatis, cognatis & coniugi, centum dierum* datum est. *Vtrumque* tempus *scientibus* demum currit, & illi *tantum dies* numerantur, quibus quis a Praetore B. P. *postulare* potuit, seu, *vtrumque* tempus est *vtile*, tam ratione *initii*, quam *cursus:* obseruata tamen inter B. P. *edictalem & decretalem* quadam differentia. In *hac* enim soli *dies sessionum* s. *iuridici* numerantur; in *illa* vero *omnes dies, quibus quouis modo Praetoris copia fuit.* 2) Quod antea dictum est, *generaliter* ex *omnibus caussis* liberis parentibusque intra *annum* bonorum possessionem competere, id diserte scriptum est

in

in legibus noſtris 3) Erronea igitur eſt ſententia STRYKII 4) & LVDOVICI 5) qui agnitionem bonorum poſſeſſionis, quae *liberis* ex edicto *vnde legitimi* & *vnde cognati* datur, ad tempus *centum dierum* adſtringunt.

1) §. 5. I. de B. P. Diſſentit IO. THEOPH. SEGERVS in *diſſ.* de *ſucceſſorio edicto* p. 5. allegans §. X. (forte legendum VII.) I. de B. P. *conſt. vlt.* §. 3. C. de *curat. furioſ. conſt. vlt. C. qui admitti ad B. P.* Sed his legibus *verborum inanium captiones* tantum excluduntur, & *qualiscunque teſtatio* admiſſa eſt.

2) §. 5. 6. I. de B. P. ibique VINNIVS l. 2. D. *quis ordo in poſſ. ſeru.* l. 2. C. *qui admit. ad B. P.*

3) l. 1. §. f. D. de *ſucceſſ. edicto.* l. 4. §. 1. D. *quis ordo in poſſ. ſeruetur.* VINNIVS ad 4. I. de B. P. GEORG. LVD. BOEHMERVS

MERVS in *diff.* de *discrim. suor. & emancip.* &c. §. 9. in *Elect. iur. ciu.* p. 149. SEGERVS in *cit. diff.* p. 13.

4) c. l. diff. 9. c. 2. §. 34.

5) in *diff.* de *praescript. nonagen.* §. 36.

§. 129.

DE NONAGENARIA PRAESCRIPTIONE.

Sui igitur liberi *triplex* habebant spatium, nempe *annum* ex edicto *vnde liberi; annum* ex edicto *vnde legitimi*; & *annum* ex edicto *vnde cognati.* Quod Doctores, summa imis miscentes, ad successionem *iuris ciuilis*, quae XXX. annis *semel* submouetur, 1) transferentes, *duplici* errore; *vno*, quod successionem *ciuilem* substituerint *praetoriae*: *altero*, quod *breuissima agnoscendae* B. P. *spatia* cum XXX. *annorum praescriptione* commutarint, commisso, docuerunt, liberos ab hereditate parentum XC. demum annorum praescriptione

ptione ſubmoueri; imo, ſi *teſtamento* heredes ſcripti eſſent liberi, CXX. annorum curſu opus eſſe: quia in hoc caſu B. P. *ſecundum tabulas*: deinde *ab inteſtato* ex edicto, *vnde liberi;* poſtea ex edicto *vnde legitimi;* poſtremo ex edicto *vnde cognati;* liberis pateat. Quae quam abſurda & peruerſa ſit ſententia, & *lerna falſarum concluſionum*, abunde ex his patet: interim monſtrum hoc nonagenariae praeſcriptionis in *Camera imper.* plurimisque foris receptum eſt. 2) Ceterum admonendi ſumus, inueteratum hunc errorem accipiendum ſolum eſſe de *liberis*, qui hereditatem *parentum* petunt. 3)

1) l. 7. C. de *petit. hered.* l. 3. C. de *praeſcript. XXX. vel XL. annor.*

2) conf. PHILIPPI lib. 3. tit. 10. eclog. 34. CARPZOV. 3. 14. 30. WERHHER T. I. P. I. obſ. 30. COCCEII in *iur. contr.* lib. 5. tit. 3. 9. 22. de CRAMER in obſ. iur. vniu. T. I. obſ. 327. IDEM in Wezlariſchen Bey-

Beyträgen P. 1. n. 9. IACOB RAVE in *Princip.* de *praescript.* §. 155. IAC. FRID. LVDOVICI *diss.* de *praescript. nonagenaria* Halae 1718. CHR. LVD. CRELLIVS in *diss.* de *praescriptione petit. hered. paternae & auitae.* Vit. 1738. HENR. GOTTH. KLETTE *diss.* de *iusto praescriptionis tempore in paterna hereditate petenda liberis definito.* Lipſ. 1769.

3) STRYK c. l. diss. 9. c. 2. §. 39. & in *Vſ. mod.* lib. 29. tit. 2. §. 3. HERTIVS Reſp. 97. & 514.

§. 130.

HEREDITAS EX IVRE CIVILI PRAESCRIPTA, ET B. P. ADHVC SALVA ESSE POTEST.

Spatium XXX. annorum, intra quod hereditas ex *iure ciuili* adeunda eſt, currit & *ignoranti*; ſpatium vero, intra quod petenda eſt B. P. currit demum a tempore *ſcientiae.* (§. 128.). Ergo B. P. adhuc poteſt eſſe ſalua, licet hereditas *ex iure ciuili* ſit praeſcripta. Vidit id iam

SI-

SICHARDVS 1) & SCHNEIDEWINVS 2) & SCHILTERVS 3) & LAVTERBACHIVS. 4)

1) ad *tit.* C. *qui admit. ad B. P. poſ.* n. 11.

2) in *Comment. ad Inſt.* lib. 3. tit. 3. tit. 10. in fin.

3) Exerc. XV. th. 8. & *66.* Diſſent. CRELL. cit. *diſſ.* §. 17. ibique WISSENBACH.

4) in Coll. theor. pract. lib. 38. tit. 1. §. 26.

§. 131.

VSVS B. P. AB INTESTATO HODIERNVS.

Nullibi B. P. ab inteſtato *generatim* eſt ſublata, 1) quamuis per NOV. 118. res eo deducta ſit, vt hodie *emancipati & cognati* non amplius *neceſſario* indigeant praetoris adiumento, vtpote ex lege *ciuili noua* ad hereditatem admiſſi. Etenim & olim praetor & *ſuos & legitimos*, licet ad eos hereditas ex *iure ciuili* per-

pertineret, ad B. P. admittebat. Ergo & hodie nemini, licet ad eum hereditas ex *iure ciuili nouo* pertineat, B. P. agnoſcere prohibitum eſt, niſi B. P. agnitio aperte cum *legibus nouis* contradictionem inuolueret, e. g. *agnatus* ſub praetextu agnoſcendae B. P. ex edicto *vnde legitimi* excludere nequit a ſucceſſione ciuili *cognatum*, vel *proximiorem*, vel in *aequali gradu* conſtitutum. Immo dantur & hodie caſus, in quibus ii, ad quos *iure ciuili* hereditas pertinet, alio modo, ac per B. P., hereditatem obtinere nequeunt, v. c. ſi hereditas ex iure ciuili praeſcripta, B. vero P. adhuc ſalua eſt. (§. 130.). 2) Hoc expeditum eſt, quod ii, quibus *lege noua* proſpectum non eſt, *ſimpliciter* petere debeant B. P., vti de *coniuge* ſupra monuimus. (§. 109.)

Denique, ſi quis B. P. agnoſcit, omnia ex *iure honorario* aeſtimanda ſunt, e. g. tempus petendae B. P., ordo

ordo a praetore praeſcriptus & cetera, quae praetor edixit. 3) Quo etiam refero caſum in §. 124. relatum, de *emancipato* filio cum *eius liberis* in *poteſtate* aui retentis concurrente. Hoc enim in caſu & hodie, ſi ex edicto *vnde liberi* B. P. agnoſcitur, idem valere, perſuaſum mihi eſt. 3) Interim hicce caſus, pro conditione noſtri ſtatus *familiae*, rariſſime occurret.

Haec ſufficiant hoc loco de B. P., quae doctrina, cum a plerisque ne nomine quidem intelligatur, nullos habet oſores, niſi ignorantes.

1) STRYK. c. l. diff. 1. c. 1. §. 64. SCHILTER Exerc. XV. th. 5. ſeqq. REINHART ad CHRISTINEVM vol. IV. obſ. 1.

2) Adde caſum l. fin. C. *vnde liberi*, HENR. GOCCEII in cit. diſſ. ſ. 2. & 3.

3) STRYK

3) STRYK c. l. diss. 9. c. 2. §. 26. & inprimis BERNHARD. LVDOV. MOLLENBECIVS in *diss.* de *duobus testamentis simul validis.* Giessae 1711. c. 6.

4) VOETIVS ad D. *tit.* de *coniung. cum emanc. lib.* §. 2. Dissentiunt communiter DOCTORES ad *tit.* de *coni. cum emancip.* & COCCEII in cit. diss. s. 2. §. 15.

AVCTA-

AVCTARIVM I.

AD §. IX.

SIVE

DISSERTATIO

QVATENVS TESTATOR PER QVERELAM INOFFICIOSI REDDATVR INTESTATVS?

Vetus est controuersia: *Quatenus testator per querelam inofficiosi reddatur intestatus?* Sane in loco principali, nimirum in *pr.* I. de *hered. quae ab int. defer.* haec species non occurrit. De eo quaestio non est: vtrum *querela inofficiosi* secundum ordinem & ius successionis ab intestato in *Nou.* 118. praescriptum ordinari possit aut debeat? Hoc enim a multis peruerse affirmari, post RANCHINVM, VOETIVM, NOODTIVM, & plures alios, ex instituto demonstrauit IOS. LVD. ERN.

PÜTTMANNVS V. C. in *diss.* de *querela inofficiosi testamenti fratribus vterinis haud concedenda.* Lipſ. 1761.

Sed anceps & maxime impedita quaestio haec est: vtrum testamento per *querelam* inofficiosi a tali, qui querelam mouere potuit, *rescisso*, reliquis coheredibus ab intestato, licet ius querelae mouendae non habuerint, victoria profit, vt partem nunc faciant in diuidenda hereditate, quasi ab intestato delata? Exempli caussa: Si *pater* querela egit & obtinuit, *fratre* defuncti *germano* existente: praesertim si heres institutus persona *turpis* non fuit. Porro & hoc quaeritur: Vtrum testamento, per querelam ab eo, qui ius quidem querelae habuit, sed cui in successione ab intestato alius praefertur, rescisso, nunc successor ab intestato hereditate potiatur? Casus est, si frater consanguineus turpi persona praelata testamentum impugnauit, & fratris germani filius adest.

Ex-

Expeditum quidem eſt, querelae olim locum datum eſſe eo colore, quaſi teſtator non ſanae mentis vel demens iudicium ſuum improbum condiderit; l. 2. 5. 17. D. *inoff. teſtam.* ac exinde inferebant vlterius, inteſtatum eum factum eſſe, & admitti ad hereditatem illos, qui ab inteſtato ſucceſſionem habent. Vide l. 6. §. 1. l. 8. §. 16. 13. l. 15. l. 17. l. 19. D. de *inoff. teſtam.* & claſſicum locum, qui tamen plerosque fugit, in *Nou.* 115. c. 3. *teſtamento euacuato ad parentum hereditatem liberos tanquam ab inteſtato ex aequa parte peruenire* --- & c. 4. --- *ſed reſciſſo teſtamento eis qui ab inteſtato ad hereditatem defuncti vocantur, res eius dari disponimus.* Sed probe obſerues velim, haec omnia adeo ſtricte capienda non eſſe, ac ſi nunquam plane licuerit pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus decedere. Et olim quoque, cum querens teſtatorem inſanae mentis fuiſſe diceret,

non ſemper teſtatorem *in totum* factum eſſe *inteſtatum* per *querelam*, luculentiſſimis probabimus affatis. Sic VLPIANVS in l. 8. §. 5. D. de *inoff. teſtam.* --- *Sed ſi in patris obtentum eſt, nec hoc valebit, niſi pro parte reſciſſum eſt, tunc enim pupillare valet.* Ac in l. 24. *eod.* proponit ſpeciem, qua *teſtator pro parte teſtatus*, pro *parte inteſtatus* diſceſſiſſe ipſi videbatur.

Similiter PAPINIANVS in l. 15. §. 2. *eod.* diſertis verbis dicit: *non abſurdum videtur pro parte inteſtatum videri.* Et PAVLLVS in l. 19. *eod.* adſtruere non dubitat, in viſione propoſita *teſtamentum in totum non infirmari, ſed pro parte tantum inteſtatam effici, licet, quaſi furioſae iudicium vltimum eius damnetur.*

IVSTINIANVS in *Nou.* 115. colorem inſaniae a *querela* remouit quidem, & *ſolam heredis inſtitutionem*, ſal-

ſaluis *legatis*, *fideicommiſſis* & *tutelis* quae *olim* ſimul reſcindebantur, per querelam, infirmari voluit: ſed hoc nouum a IVSTINIANO introductum ius vnice ad ea *teſtamenti* capita, quae ad ipſam *teſtati* cauſſam *neceſſario* haud pertinent, ſpectat. Si enim quaerimus: vtrum *proprie & vere* quis *teſtatus*, an *inteſtatus*, habeatur? de *teſtamento* ratione *heredis inſtitutionis* ſ. de *herede directo* ſermo eſt, non autem de *legatis*, aut *fideicommiſſis*, aut *tutelis*: nam eiusmodi diſpoſitiones in *codicillis* & *ab inteſtato* fieri poſſunt; *codicilli* autem *in ſe* neque *teſtatum* aliquem faciunt, neque *inteſtatum*, ſed *ſolum teſtamentum*, quatenus *directam heredis inſtitutionem* continet, huc pertinet.

Sed quo effectu teſtator infirmato eius per querelam teſtamento, inteſtatus fiat; & quo ſenſu nunc ſucceſſio ab inteſtato obtineat, non vna omnium Doctorum eſt ſententia.

Vt diuersas ICtorum sententias, quantum fieri potest, conciliemus, distinguendus est casus, quo is, qui ius mouendae querelae habet, partem tantum suam, ab intestato debitam, petit, vt hactenus solum testator pro parte intestatus fiat; ab illo casu, quo querens in solidum agit, & totum rescindit testamentum.

Si prius, omnes fere ICti consentiunt, victoriam actoris non prodesse aliis coheredibus ab intestato. GERHARD. NOODT in *Comment.* ad *tit.* D. de *inoff. testam.* p. m. 164. OSWALD. HILLIGER. ad DONELLVM lib. 19. c. 10. LVCAS *van de* POLL in *tr.* de *exheredatione & praeteritione* c. 81. Et recte, cum id in querela inofficiosi receptum, vt pro parte quis intestatus fieri possit. l. 15. in f. l. 17. D. de *inoff. testam.*

Si vero posterius, alii inter successionem ab intestato *simplicem* s. *ordi-*

ordinariam, cui omnino non facto testamento, aut facto quidem, sed nullo, aut rupto, aut irrito, aut destituto, locus datur, quae normam suam a IVSTINIANO accepit in *Nou.* 118.; & inter successionem ab intestato *extraordinariam*, quae rescisso per querelam inofficiosi testamento obtinet, distinguentes, victoriam agentis & obtinentis aliis, qui in successione quidem ab intestato *ordinaria* coheredes fuissent, sed quibus querela non competiit, non prodesse censent, ideoque hereditatem soli illi ab intestato vindicant, qui ius successionis ab intestato & simul querelam habuit VIGLIVS ZVICHEMVS ad *pr.* I. de *inoff. testam.* n. 9. GVIL. RANCHINVS c. tr. c. 18. 10. VOETIVS ad *tit.* D. de *inoff. testam.* §. 11. GERH. NOODT in *Commentar.* ad *eund. tit.* p. 164. seq. T. II. *Operum* ex edit. *Lugd. Bat.* 1735. fol.

NOODTIVS, acuti alias iudicii vir, in hoc loco dormitasse videtur.

Praecipuum enim & fere vnicum argumentum ex Nou. 115. c. 3. desumsit, ita rationes subducens: ---- *Non vtar multis: inferam saltem, quod Nouella 118. hereditatem quidem ab intestato defert, siue paterfamilias ab initio intestatus fuerit, siue postea intestatus factus sit: sed non alias quam si ille sit in totum intestatus: siue nullum fecit testamentum; siue fecit aliquod, sed inutile ab initio, aut postea ruptum, destitutum, aut irritum factum: quo casu neque institutio valet; neque aliud. Hoc vero non est ita ex* Nou. *115. c. 3. nam testamentum ex ea non in totum rescinditur, sed quatenus ad heredis institutionem pertinet; cetera firma manent, sicut ante firma fuere. Atque hoc statuit haec* Nou. *non modo circa legata aut fideicommissa (ne quis dicat, haec hodie vel ab intestato relinqui) sed etiam circa tutelae dationem, tantum in testamento, non aeque ab intestato, obtinentem. Vtcunque erit: cum noluerit*

rit Imperator in d Nouella *115. c. 3. teſtamentum inofficioſum per querelam hodie in totum reſcindi: apparet eum velle, tale teſtamentum valere ex parte: ideoque paterfamilias hoc nouo iure per querelam non in totum haberi inteſtatum; conſequenter igitur putemus, ad defuncti hereditatem in propoſito non venire omnes; qui ex* Nouella *118. ad hereditatem ab inteſtato vocantur: ſed tantum hunc, qui querelam inſtituit, atque in ea victor exſtitit, non in alterius, ſed in ſuum vſum:* --- Repeto, quae antea in hanc rem dixi, nempe, quod legata, aut fideicommiſſa aut tutelae datio, (quae poſterior *imperfecto iure* etiam in *codicillis ab inteſtato* fieri *olim* potuit,) cauſam *teſtati* aut *inteſtati* neutiquam praeciſe determinent. Quum igitur IVSTINIANVS teſtamentum quoad *heredis inſtitutionem* per querelam infirmari voluit, omnino teſtator fit proprie & vere *inteſtatus*, & nihil ad rem facit, quod

quod legata, fideicommissa, & tutelae datio, rata & firma maneant. Haec enim singularia & cum causa *testati* necessario haud connexa capita, ordinem successionis ab intestato ex *Nou.* 118. eo minus impedire possunt, quo certius est, ordinem successionis ab intestato ex *Nou.* 118. per *solos codicillos* non impediri, quoniam codicilli, vtpote heredis institutionem respuentes, defunctum non reddunt *testatum.* SAM. STRYK in *tr.* de *succeſſ. ab inteſt.* diſſ. 1. c. 1. §. 21. Sufficit, quod querela testamentum quoad *heredis institutionem* rescindat, quo ipso testator fit *intestatus*, quantum ad ipsam *hereditatis* causam pertinet. Et praeterea IVSTINIANVS, expressis, supra a nobis relatis, verbis successioni ab intestato locum dat, eosque, qui ad illam vocantur, admittit, neutiquam vero tantum eum, qui querelam instituit, atque in ea victor exstitit: quae erronea est NOODTII sententia,

tia, ex peruersa *testati* & *intestati* interpretatione nata.

Alii illud, quod querela inofficiosi testatorem ad causam intestati reducat, ita accipiendum esse dicunt, quod successio ad actorem, qui ab intestato fuerat successurus, deuoluatur, non vero quod omnes, qui ab intestato ius habebant, per querelam successioni admoueantur. Proinde rescisso per *patrem* testamento portiones *fratribus* ab intestato debitas *patri* non accrescere, sed penes *scriptum heredem* manere, patremque suum ius suamque partem, ab intestato debitam, duntaxat adquirere, nec in querela inofficiosi insolens esse, vt testator ex *postfacto* partim testatus, partim intestatus intelligatur. BERNARDVS SCOTANVS in *Exam.* iurid. h. t. p. m. 194. VLRICVS HVBERVS in *Prael. ad Pand.* lib. 5. tit. 2. §. 10.

Alii

Alii denique, victoriam reliquis etiam in successione ab intestato coheredibus, licet his querela non competierit, prodesse statuunt, atque resciſſo testamento, hereditatem ex norma successionis ab intestato, in Nou. 118. praescripta, diuidendam esse iudicant. REINH. BACHOVIVS ad TREVTLER. disp. 13. th. 4. SAM. de COCCEII in *iur. controu.* lib. 5. tit. 2. qu. 15. VALENT. FORSTERVS c. l. c. 8. ARNOLD. VINNIVS in *Commentar. ad Inst.* lib. 2. tit. 18. §. 1. n. 4. & lib. 3. tit. 1. pr. n. 2. & in *Partit. iur.* lib. 3. c. 29. WOLFG. AD. LAYTERBACH in *Coll. th. pr.* lib. 5. tit. 2. §. 21. PETR. MVLLERVS *ad* STRVVIVM Exercit. X. th. 24. f. SAM. STRYK. in *tr.* de *succeſſ. ab inteſt.* diſſ. 1. c. 1. §. 25. ſeq. IO. BALTHASAR *de* WERNHER in *Select. Obſ. for.* T. I. P. I. obſ. 270. LVCAS *van de* POLL c. l. c. 81. FRID. ESA. de PVFENDORFF in *Obſ. iur. vniu.*

vniu. T. II. obſ. FERD. AVG. HOMMELII *diſſ.* de *victoria querelae inofficioſi tertio proficua.* Halae 1719. IO. HARTW. REVTERI *diſſ.* de *effectu querelae inofficioſi teſtamenti iuxta ordinem edicti ſucceſſorii inſtitutae intuitu non querentis.* Halae 1749.

Quae poſterior, in noſtris foris triumphans, ſententia, diligentiore tractatu habito & curioſe examinatis ponderatisque ſingulis argumentis, mihi quoque magis nunc placet. Ceterum illa, quam GEORGIVS BEYERVS in *Delineat. iur. ciuil. ſecundum Inſtitutiones* lib. 3. de *ſucceſſ. ab inteſtato* §. 28. not. k. & GEORGIVS FRIDER. DEINLINVS in *diſſ.* de *dubiis quibusdam in ſucceſſione ab inteſtato collateralium in capita* §. 6. alunt, ſententia, quaſi frater defuncti *conſanguineus*, qui, *turpi* herede inſtituto, teſtamentum querela inofficioſi infirmaſſet, cum fratrum *germanorum* filiis ad hereditatem ab inteſtato, a qua alias per hos excluſus fuiſſet,

fuiſſet, admittendus ſit, & quidem ex DEINLINI opinione, in *ſtirpes*, mera cerebrina aequitate inniti mihi videtur. Certe legibus & analogia iuris illa opinio non ſtabilitur. Etenim hoc caſu aut frater *conſanguineus*, qui teſtamentum infirmauit, ſolus obtinet hereditatem, aut, quod verius eſſe puto, filii fratris *germani*, excluſo fratre defuncti *conſanguineo*, hereditatem ex cauſſa *ſucceſſionis ab inteſtato*, *reſciſſo* teſtamento nunc obtinentis, ſibi ſoli vindicant. Eiusmodi *anomala*, quae a BEYERO & DEINLINO ſtatuitur, *ſimultanea* ſucceſſio in legibus *antiquis* & *nouis* ignota eſt.

Id vero facile conceſſerim, veram eſſe VINNII aliorumque iuris interpretum obſeruationem: a poſterioribus Principibus, & ab ipſo IVSTINIANO, multa in ſucceſſionibus eſſe conſtituta, non animaduertentibus, quae inde conſecutura eſſet veteris iuris perturbatio. Haec enim obſeruatio per illam, quam pertractauimus, disputationem egregie illuſtratur & confirmatur.

AVCTA-

AVCTARIVM II.

AD §. XI. SCHOL.

SIVE

DISSERTATIO

VTRVM ABSENTIVM SVCCESSIO FIAT EX NVNC AN EX TVNC?

In ſucceſſione, quae *abſentibus* (Verſchollenen) fit, praeiudicialis quaeſtio eſt, *ex quo tempore illis ſuccedatur?* Hoc expeditum eſt, quod ſi tempus, quo abſens *vere* mortuus eſt, probari queat, illum heredem exiſtere, qui *eo tempore* proximus fuit. Et hoc omnes facile admittunt ob §. 7. I. de *hered. quae ab inteſtato defer.* & §. 6. I. de *legit. agnat. ſucceſſ.* Quodſi autem *verum* mortis tempus probari nequeat, ſed ex *praeſumtione iuris* abſens mortuus habetur, alii tempus *abitus;* alii tempus *curae* ob vitam abſentis dubiam *ſuſceptae;* alii denique tempus, quo abſens ex *praeſumtione iuris* mortuus habetur, ſpectandum eſſe ſentiunt.

Prima ſententia, niſi in lege prouinciali ſtatutoue fundata ſit, vid. *Hohenlohiſches Landrecht* V. I. 28. nullos inuenit, neque meretur, fautores. *Secunda* vero plurimorum aſſenſum habet, & *anticipatam* ſ. *conditionalem ſucceſſionem* inuoluit. SCHILTER. Exerc. XV. th. 71. ſeqq. LYNCKER Vol. I. reſp. 5. & in *Anal.* ad STRVVII *Synt.* I. C. *tit.* de *hered. petit.* th. 66. & *Deciſ.* 1578. WERNHER T. III. P. 3. obſ. 48. WAHL in pr. *cui neceſſitas probandi in petitione hereditatis abſentis incumbat.* Goett. 1751. pag. 12. ſeq. ENGAV in *elem. iur. germ.* lib. I. tit. 28. §. 482. & 487. & ad hunc locum RICCIVS. IDEM in *Progr.* de *cura abſentium,* Ienae 1753. pag. 11. IDEM in *Deciſ. & Reſponſ.* P. II. reſp. 3. n. 4. SCHORCH in tr. de *cura bonorum abſentis* §. 23. ſeq. & 10. AVG. HELLFELDIVS in *iurispr. for.* §. 1397. qui nouiſſime argumentum pro hac ſententia depromſit ex l. 10.

&

& 18. D. de *captiuis & poſtlim.* Sed ingenue fateor, me non perſpicere, qua ratione ſolida ex citatis legibus ad praeſentem cauſſam duci poſſit argumentum. Magnus mihi erit Apollo, qui ex *Lege Cornelia* ad *abſentes*, de quibus hoc loco quaeſtio eſt, firmam nectet argumentationem. *Tertia* ſententia defenditur a LEYSERO ſp. 96. m. 9. FERD. AVG. HOMMELIO in diſſ. *ſeptuagenarius abſens factus, quando mortuus praeſumatur.* Lipſiae 1751. CAROL. FERD. HOMMELIO in *Rhapſod.* obſ. 107. add. REINHARTH ad CHRISTINAEVM Vol. 3. obſ. 35. Strube in den rechtl. Bed. P. 3. p. 365. DECIS. CASSELL. T. I. dec. 131. Si dicendum quod res eſt, ego *tertiam* ſententiam veriorem exiſtimo & iuri *romano* accommodatiorem. Probo ex §. 6. I. de *legit. adgnator. ſucceſſione*, vbi ſcriptum legimus: *proximus* autem, *ſiquidem nullo teſtamento facto quisquam deceſſerit; per hoc tempus*

requiritur, quo mortuus eſt is, cuius de hereditate quaeritur. Quodſi facto teſtamento quisquam deceſſerit, per hoc tempus requiritur, quo certum eſſe coeperit, nullum ex teſtamento heredem extiturum; tunc enim proprie quisque inteſtatus deceſſiſſe intelligitur. Quod quidem aliquando longo tempore declaratur. In quo ſpatio temporis ſaepe accidit vt, proximiore mortuo, proximus eſſe incipiat, qui moriente teſtatore non erat proximus. Si nunc adſumimus, quod nemo negare poteſt, abſentem, de cuius morte nil certi conſtat, tunc demum *praeſumi* mortuum, ſi, vti communis fere eſt opinio, abſens ſeptuageſimum expleuit aetatis annum, *eo demum tempore certum eſſe coepit* ex praeſumtione iuris, abſentem eſſe mortuum. Ergo is ei heres exiſtit, qui hoc tempore, v. c. die prima anni ſeptuageſimi primi, abſenti proximus eſt. Ergo ſucceſſio abſentium fit ex *nunc*, & non ex *tunc*.

Ita

Ita rationes ſubduxi in *ſecunda* editione. Argumenta mea ſub examen vocauit IO. FRID. PIEL, ſeu qui verus diſſertationis auctor eſt, b. IOAN. HENR. EBERHARDVS, Vir doctiſſimus, in *diſſ.* de *translatione bonorum abſentis vel probata morte vel praeſumta demum efficaci.* Goettingae 1768. in *cap.* III. §. 54. & 55. ſequentem in modum ſcribens: ---

IO. CHRISTOPH. KOCHIO, cum nouo prorſus vti argumento ſibi videatur, ſpeciatim reſpondendum eſſe cenſeo. Modeſte id fiat, Virique — pace. Prouocat nimirum ad §. 6. *Inſt.* de *legitima agnatorum ſucceſſione*, vbi IVSTINIANVS *Imperator ſtatuit*: *Proximus autem, ſiquidem nullo teſtamento facto quisquam deceſſerit, per hoc tempus requiritur, quo mortuus eſt is, cuius de hereditate quaeritur. Quodſi facto teſtamento quisquam deceſſerit, per hoc tempus requiritur, quo certum eſſe coeperit,*

nullum ex testamento heredem exstiturum; tunc enim proprie quisque intestatus decessisse intelligitur. Addi potuissent L. 1. §. 3. D. *vnde cognati* & L. 2. §. 6. de *suis & legitimis heredibus.* Concludit inde *auctor laudatus: Si nunc adsumimus; quod nemo negare potest, absentem, de cuius morte nil certi constat, tunc demum* praesumi *mortuum, si, vti communis fere est opinio, absens septuagesimum expleuit aetatis annum,* eo demum tempore certum esse coepit *ex praesumtione iuris, absentem esse mortuum. Ergo is ei heres existit, qui hoc tempore, v. c. die prima anni septuagesimi primi, absenti proximus est. Ergo successio fit ex nunc, non ex tunc.*

Speciosa satis videtur argumentatio, sed non adeo solida, vt meam destruere possit sententiam. 1) Nam Vir --- tanquam indubitatum ponit, quod nunquam probari potest. *Si nunc adsumimus,* inquit, *quod nemo negare*

negare poteſt, abſentem tunc demum praeſumi mortuum, ſi annum ſeptuageſimum expleuit. ---- Non quidam ſolum, ſed omnes, vel ſaltem plurimi, qui ante LEYSERVM ſcripſerunt, Doctores id negant. Sed hac de re ſupra ſatis. 2) Monendum eſt, imperatorem in §. *cit.* duos decidere caſus. Primo loquitur de ſucceſſione *ab inteſtato*, de qua KOCHIO & *mihi* ſermo eſt. Hic ſancit legislator: eum ſuccedere, qui tempore mortis proximus fuit cognatus. En verba legis: *Proximus per hoc tempus requiritur, quo mortuus eſt is, cuius de hereditate quaeritur.* Alia eaque diuerſa proponitur *ſecundo* ſpecies. Decedit quis *teſtatus. Hoc certum eſt. Tempus mortis non incertum.* Quinam heredes ſint propiores quaeritur. Vtrum illi, qui tempore mortis teſtatoris, an qui tunc, quum certiores facti ſumus, heredem ex teſtamento condito non exſtitiſſe, fuerunt tales? &

posteriores Imperator praefert. Posterior decisio huc non spectat, sed prior; cum, si certum est, absentem testamentum condidisse, status controuersiae, & cum ea nostra mutatur sententia. Caeterum testamentum est res facti & probanda: non praesumitur. Quod igitur prius legis attinet membrum, eo ---- *Viri* nunquam firmatur sententia. Id enim, in successione tempus mortis attendi, concedere nullus dubitaui. Atque ita omnis controuersia eo denuo redit, quando absens sit mortuus.

Duos hosce casus a se inuicem distinguere ---- KOCHIVS neglexit. Verba potius: *eo tempore demum certum esse;* ex *secunda* legis specie ad *priorem* contra verba, mentemque legislatoris transtulit. Imperator ait: *tunc enim quisque* INTESTATVS *decessisse intelligitur eo tempore, quo certum esse coeperit, nullum ex testamento*

mento HEREDEM EXSTITVRVM KOCHIVS autem: *tunc certum esse coepit absentem esse* MORTVVM.

In successione ab intestato Imperator non ex *certitudine mortis*, sed *ex tempore mortis*, licet postea probetur, praerogatiuam heredum determinat. -- Hactenus EBERHARDVS.

Ego, pace *Viri Consultissimi*, respondeo. 1) Disputo secundum principia *iuris romani*. 2) Suppono, de *vero* tempore, quo absens mortuus est, non constare. Nunc vero 3) secundum *ius romanum viuentis*, imo & eius, cuius vita *dubia & incerta* est, non datur hereditas. l. 1. D. de *hered. vel act. vend.* l. 4. C. de *postlim. reuersis* ibi: *Nec nos praeterit, hereditatem eius, quam incognitum erat ab hostibus interfectam, an captam esse, a filio adiri non potuisse, quoniam eorum bona, qui in hostium potestatem rediguntur,* EO DEMVM TEMPORE

PORE SVCCESSIONIS IVRE ADQVIRI POSSVNT, CVM CAPTOS APVD HOSTES MORTVOS ESSE COGNOSCITVR. *Nec ſuper facultatibus eius, cuius* INCERTA VITA *ac fortuna fuit, tranſigi vel iudicari potuit. Vnde poſtea quam apud hoſtes materteram veſtram fati munus impleſſe innotuit: tunc vobis licentia permittitur agnoſcendae per bonorum poſſeſſionem ſucceſſionis; non officientibus enim his quae perperam geſta ſunt, ſi priorem gradum obtinetis, ſucceſſionis compendium ad vos pertinet.* Si ergo 4) de *vero* tempore, quo *abſens* fati munus impleuit, non conſtat, omnino neceſſe eſt, vt, ad litem de hereditate eius decidendam, certum *ex praeſumtione iuris* ſtatuamus tempus, quo viuere deſiit. Siue nunc ſtatuas, ad finem vsque *centeſimi anni* vitam abſentis *in dubio* perduraſſe; quod *ex iure romano* defendunt antiquiores ICti, ob l. 4. D. de *vſufr.* & *quemadm. quis vtatur fruatur.* l. 8. D. de *vſu* & *vſufr.* l. 23.

§. 1.

§. 1. C. de *SS. eccleſ.* MENOCHIVS de *Praeſumt.* lib. 6. praeſ. 49. MVSCVLVS in *Auctario* de *termino vitae humanae* adiecto *tr.* de *ſucceſſione conuentionali & anomala* p. 77. ſeqq. FINKELTHAVS Obſ. 100. VOETIVS in Commentar. ad *Pandectas* lib. 38. tit. 17. §. 16. ſiue cum recentioribus ICtis, ex auctoritate DAVIDIS in *Pſalm* XC. 10. aſſumas terminum vitae *ſeptuageſimum* annum, perinde mihi eſt. Nam hoc ſemper indubitatum manet, ſecundum *principia iuris*, principiis *philoſophicis* nixa, dicendum eſſe: *quemque in dubio viuere praeſumi ad terminum legitimum, eumque in dubio demum mortuum cenſeri eo termino elapſo.* VOETIVS in *Comment. ad Dig.* lib. 38. tit. 17. §. 16. ibique plures allegati. Quod 5) in §. 6. I. de *legit. agnat. ſucceſſ. duplex* occurrat caſus, ex verbis euidentiſſime conſtat, nec id ego vnquam negaui. *Vterque* vero caſus pertinet ad *cauſſam inteſtati;*

ſtati; neutiquam vero, vt *Conſultiſſimus* EBERHARDVS putat, prior ad *ſucceſſionem ab inteſtato*, *poſterior* autem ad *ſucceſſionem teſtamentariam* ſpectat. Non enim valet conſequentia: *Defunctus reliquit teſtamentum, ergo ceſſat ſucceſſio ab inteſtato.* (conf. §. 9. & 11.). Et praeterea in ſucceſſione *teſtamentaria* quaeſtio *proximitatis* plane exulat. Ponamus ergo *abſentem omnino teſtamentum non feciſſe, aut non iure feciſſe*, tunc is *proximus* ad hereditatem *ex lege* habetur, qui *proximus* eſt per illud tempus, *quo mortuus eſt is: cuius de hereditate quaeritur.* At de *vero* mortis tempore non conſtat. Ergo res definienda eſt ex *praeſumtione iuris*, & ſpectandum illud tempus, vsque ad quod viuere quis *praeſumitur.* Nam *tempus, quo mortuus quis eſt*, vel illud eſt, quod *vere* & *certo* probari poteſt, vel quod *in dubio praeſumtio iuris* ſtatuit. Nunc autem abſens, de cuius *vero* mortis tempore non

non constat, viuere *praesumitur* ad 100. vel 70. annos: ergo *in dubio eo demum tempore mortuus est*; seu quod idem est, *eo demum tempore certum est*, aut *certum esse coepit ex praesumtione iuris*, *absentem esse mortuum*. Conf. §. 1. I. de *leg. agnat. succ.* vbi IVSTINIANVS eadem formula loquendi generaliter vtitur. Ergo in definienda *proximitate* hoc tempus spectare debemus. Nemo enim, vti antea dixi, mortuus haberi potest ante illud tempus, quo vel *vere mortuus* probatur, vel praesumitur. Ergo nec ante tempus mortis vel *vere probatum*, vel *praesumtum*, successioni locus datur. Idem valet de eo casu, *si absens testamentum fecit*, *sed quod ruptum irritumue factum est*, *antequam absens terminum vitae* PRAESVMTVM *impleuit*. Ponamus porro *absentem testamentum feciſſe*, *sed ex quo nemo heres exiſtit*, siue quia heres repudiat, siue quia post testamentum conditum incapax factus est, siue quia conditio deficit; tunc, si vnum ex his contingit, *absente nondum praesumtiue mortuo*, *proximitas* inter cognatos iterum aestimanda est ex tempore mortis *praesumtiuo*. Si vero vnum ex illis accideret, postquam absens ex *praesumtione iuris* pro mortuo habetur, tunc illud tempus inspicere debemus, *quo certum esse coepit nullum ex testamento heredem extiturum*; i. e.

tem-

tempus repudiationis, vel *incapacitatis*, vel *deficientis conditionis*.

Quod deinde subiicit EBERHARDVS: *In successione ab intestato Imperator non ex* certitudine *mortis*, *sed ex* tempore *mortis*, licet postea demum probetur, *praerogatiuam heredum determinat*, id me non ferit. Suppono enim casum, *verum* mortis tempus probari non posse. Ergo mortis tempus illud censetur, quo quis mori *praesumitur*, seu de quo *certiores* facti sumus per *praesumtionem iuris*.

Denique 6) vulgaris doctrina male cohaeret, imo implicat, & principiis iuris aduersatur. Quis enim concoquere potest *successionem anticipatam?* Quonam iure statuere possumus, *tempore curae susceptae* absentem esse mortuum? quod tamen cum LYNCKERO aliisque defendit EBERHARDVS in *cit. diss.* §. 29. Et si absens iam *eo tempore* mortuus habetur, cur *cautionem* exigimus? Vides ergo, omnino opus esse, vt in illo casu, si *verum* mortis tempus probari non potest, *certum* assumamus tempus ex *praesumtione iuris*, quo absens mortuus censetur. Adstipulatur nobis quoque *Ill.* CAROL. FRID. WALCHIVS in *Controuers.* p. 20.

AVCTA-

AVCTARIVM III.

AD §. XX. n. III.

SIVE

DISSERTATIO

DE

COGNATIS DVPLICIBVS,

TRIPLICIBVS &c.

SECTIO I.

ALIORVM OPINIONES RECENSENS.

Omni ſtudio diligentiaque laborandum eſſe, vt accuratas diſtinctasque rerum notiones nobis comparemus, nemo eſt, qui neſciat, aut neget, & haec, quam tractabimus, materia euidentiſſimum nobis praebet exemplum, quantum notionum negligentia noceat.

Nemo enim quid ſint cognati *ſimplices*, *duplices*, *triplices* &c., in linea *deſcendentium*, *aſcendentium* & *collateralium?* & quid in linea *collaterali* inter cognatos *duplices* & *bilaterales* intercedat discriminis? iuſtis definitionibus determinare ſtuduit. Antequam ve-

ro huic doctrinae lucem affundam, operae pretium esse duco, aliorum opiniones recensere.

Primus locus iure debetur IOANNI HARPPRECHTO, qui in vastissimo *Commentario ad Instit.* lib. III. tit. I. n. 453. seqq. ita scriptum reliquit: Illud hoc loco singulariter, alboque (quod aiunt) calculo notandum venit: quod si qua persona duplici ratione defuncto coniuncta sit, ea duas quoque hereditatis partes auferre queat. Ideoque si (exempli gratia) Titia tanquam neptis ex auunculo magno, & tanquam neptis ex amita magna, defuncto fuerit coniuncta: eam duas portiones ex ipsius hereditate accipere posse, credibile omnino & probabile est. Primo enim iuris est non incogniti: quod eo casu, quo duplex qualitas in vna eademque persona concurrit, illa persona pro duabus personis reputetur, & perinde habeatur, atque si illa duplex

duplex qualitas duabus diuerſis perſonis ineſſet. l. ſi conſul. 3. & l. ſeq. ff. de adoptionib. l. tutorem 22. ff. de his, quae vt indig. auferunt. l. quaeſitum 16. ff. de in ius voc. l. procuratoris 5. §. ſi plures ff. de tributor. act. l. Titiae textores 36. ff. de legat. 1. l. legatis 65. §. ſi vnus ff. de legat. 3. §. ſi tutor. 4. ff. de inofficioſo teſtament. l. cum quaedam 26. Cod. de adminiſtrat. tutor. cap. collatione 11. extr. de appellationibus in 6. Andreas Gail. in tract. de Arreſtis Imperii cap. 6. num. 14. & ſeqq. vbi hoc aliquot exemplis illuſtrat. Atque hinc eſt, quod vna eademque perſona diuerſo reſpectu cenſeatur diuerſo iure. l. ille a quo 13. §. fin. cum lege ſeq. ff. ad Sc. Trebellian. l. apud filiumfamilias 18. ff. de manumiſſis vindicta l. 1. §. ſed & ſi praeſes ff. quando appelland. ſit. c. poſtulaſtis 15. extr. de conceſſione praebendae c. cum capella 16. &c. ex ore 17. in fin. & vtrobique notabilis

tabilis Gl. & Zabar. ext. de priuil. Crav. in tract. de anq. temp. p. 4. §. absolutis num. 34. & Euerh. à Midelb. in tob. legat. in loc. de tanquam seu respectiuis n. 24. Sicut etiam vna eademque res diuersis respectibus diuerso iure censetur. l. miles 75. §. pro parte ff. de legat. 2. vbi in praelegatis pars habetur iure hereditario, pars iure leg. Panorm. in c. cum in tua in fin. ext. de decimis. Ripa in c. vlt. n. 122. Cod. de reuocand. don. Tiraquell. de retract. lign. §. 1. gloss. 18. n. 23. & §. 8. gloss. 5. n. 14. & idem late in tract. de nobilitat. cap. 28. n. 13. Menoch. in tract. de recuper. possess. remed. 1. n. 36. vbi plures citat.

Secundo, quando duae qualitates in eadem persona simul concurrunt, quarum quaelibet per se potest operari suum effectum: tunc vna qualitas alteri non derogat; arg. l. 1. §. consules vbi Baldus ff. de offic. consul.

ſul. Socin. in l. cum filiofamilias 11. n. 28. verſ. ſecunda ratio ff. de legat. 1. ibique Crauett. in 2. part. n. 395. hosque referens Ioann. Petr. Surdus conſil. 91. n. 19. item idem Surdus conſil. 183. n. 42. & conſil. 365. n. 22. vbi ita diſerte reſpondit: Quando vnus repraeſentat duplicem perſonam, & diuerſa Iura habet ſecundum perſonae diuerſitatem; tunc vnumquodque ius conſideratur per ſe, tanquam ſi duae eſſent perſonae. Cum igitur Titia noſtro in themate duplicem ſuſtineat perſonam, duplexque ſucceſſionis ius obtineat: conſequens vtique eſt; eam, ſi tanquam neptis ex auunculo magno vnam portionem acceperit; non impediri, quo minus & alteram portionem, ceu neptis ex amita magna, petere poſſit.

Tertio hanc deciſionem iuuat, quod exercens duas diuerſas artes mechanicas, ad onera & ſtatuta vtriusque Collegii obligetur, per textum in-

dict. c. postulastis 15. extr. de concess. praebend. l. penult. ff. de offic. assessor. dict. I. ille, a quo 13. §. tempestiuum 4. ff. ad Senatusconsult. Trebellian l. hac parte 10. Cod. de proximis sacror. scrinior. & ibid. gloss. in verb. duplici & l. final. §. nec sit concessum Cod. de adsessoribus. Et tradunt Felinus in c. 2. n. 10. extr. de probat. Roman. consil. 422. & Andreas Gail dict. tractat. de arrest. c. 6. n. 28. Quemadmodum ergo vna eademque persona propter artificii, vel aliam duplicem qualitatem, duarum personarum onera sustinet: ita & propter duas diuersas qualitates, duarum personarum commoda percipere debet: cum contrariorum eadem sit ratio & disciplina, argument. l. 1. in princip. I. de his, qui sui vel alieni iuris sunt init. tit. supr. dicto tit. & initio tit. s. de tutel. & l. si mortis 18. in princip. ff. qui & a quib. manumissi liberi non fiunt. Aristot. lib. 1. Topic. 11.

Quarto

Quarto facit textus in leg. ſi ita ſcriptum 13. ff. de liber. & poſthum. hered. inſt. vbi Iulianus reſpondit in haec verba: Si ita ſcriptum ſit; ſi filius mihi natus fuerit, ex beſſe mihi heres eſto; ex reliqua parte vxor mea heres eſto: Si vero filia mihi nata fuerit, ex triente heres eſto: ex reliqua parte vxor heres eſto: & filius, & filia nati eſſent: dicendum eſt, aſſem diſtribuendum eſſe in ſeptem partes: vt ex his filius quatuor, vxor duas, filia vnam partem habeat &c. Haec Iulianus. Ex cuius reſponſo patet, quod vxor in vtrumque caſum, ſi vel filius, vel filia naſcetur, in certa parte a marito heres inſtituta, natis & filio & filia, duplici reſpectu & quaſi duplex mater conſideretur; vna, quae filium, & altera, quae filiam peperit. Et iuxta hunc duplicem reſpectum vxor conſiderata, maiorem etiam portionem ex voluntate teſtatoris aufert, per textum

ibi: quam ex vtroque nato teſtat, voluerit vxorem aliquid habere, &c. Eodem etiam ſpectat text. in l. poſt emancipat. 40. in pr. ff. de leg. 3.

Quinto, quando pluribus eadem quantitas promittitur; tunc pro perſonarum numero quantitas promiſſa inter eos diuidenda eſt. l. reos. 11. §. 1. ff. de duobus rcis. conſtit. l. eum qui 56. in pr. ff. de verb. oblig. Sic etiam quando pluribus eadem res in teſtamento legata eſt; ad partes viriles rei legatae, pro numero perſonarum, vocantur. l. pluribus 33. ff. de legat. 1. l. re coniuncti 89. ff. de legat. 3. §. ſi eadem res 8. ſ. de legat. Iam vero iura ad hereditatem illius, qui ſine aſcendentibus & deſcendentibus, & ſine fratribus & ſororibus, eorumque liberis vita functus eſt, vocant plures cognatos, qui proximiores eodem gradu exiſtant: & ita vocatio intelligitur ſecundum numerum per-

perſonarum ad aequales portiones facta eſſe. Nou. 118. c. 3. ſi vero neque fratres. Auth. poſt fratres fratrumque filios C. de legitimis heredibus. Cui conſequens eſt, quod perſona, quae propter diuerſas qualitates ei inhaerentes, pro pluribus habetur perſonis, in plures etiam viriles portiones ad ſucceſſionem ab inteſtato vocata eſſe cenſeatur. Nam argumentum ab vltima voluntate ad legem, vel contra, iure noſtro receptum eſt. Nou. 22. c. 2. verſ. disponat &c. Nicol. Euerh. in loc. legalib. loc. ab vltima volunt. ad legem, &c.

Sexto huc confert, quod res eadem bis debetur ex diuerſis cauſis, quae non ſunt inuicem incompatibiles, vt noſtri loquuntur l. ſi is, qui Stichum 18. ff. de oblig. & actionib. Et quando ſunt duae obligationes paris poteſtatis, non poteſt altera per alteram conſumi; cum non

non reperiatur, vtra alteram perimat l. ſi reus 13. ff. de duobus reis conſtituend. & l. general. 5. verſ. reum vero, &c. ff. de fideiuſſ. Et denique quotiescunque vni eidemque vna eademque hereditas ex duabus cauſis defertur, toties lucri multiplicatio contingere poteſt, argument. l. quinquaginta 12. ff. de probationib. & l. hered. 3. Cod. de petitione hereditat. Bald. Caſtrenſ. Cuman. Alexand. Iaſon. & alii in l. plane 34. §. 1. ff. de legat. 1. & Surdus conſil. 119. n. 1. quem citat. & ſequitur Plebſt. Diſp. 4 partis quartae de iure Prouinciali. Würtemb. ſub th. 114. edit. 2.

Hanc ita firmatam ſententiam non deſtruit; quod quando quis moritur ſine aſcendentibus & deſcendentibus, non relictis poſt ſe fratribus & fratrum filiis, tunc ad eius ſucceſſionem vocentur agnati & cognati, gradu proximiores: & ſi ſint plures pares in gradu, pariter vocentur,

centur, & in capita ſuccedant; id eſt, ſecundum numerum perſonarum, non attenta ſexus differentia, nec etiam conſiderata duplicitate vinculi; d. Auth. poſt fratres fratrumque filios, C. de legit. heredib. & d. Nou. 118. c. 3. §. ſi vero neque fratres, &c. Schneidew. his in tertio ord. ſucced. n. 32. & ſeq. Ranchinus, poſt alios, in d. Commentar. de ſucceſſ. ab inteſt. §. 13. n. 19. Graſſus in §. ſucceſſio ab inteſtato. q. 33. n. 2. D. Beſold. in delibat. iuris ex lib. 37. ff. quaeſt. 6. p. 132. Etenim pro diſſolutione huius obiectionis obſeruandum eſt diligenter, quod Iuſtinianus Imp. in allegatis locis loquitur de vinculo duplicatis, inter fratres ex eodem matrimonio progenitos ſubſiſtente, & de duplicitatis vinculo, quod inter poſteros fratrum, ex duplici illo fraternitatis vinculo originem trahit. Statuit itaque Iuſtinianus quod in materia ſucceſſionis

ab

ab inteſtato, duplicitas iſthaec vinculi fraterni in ipſis quidem fratrib. ad hoc proſit, quod frater vtrinque coniunctus defuncto, vel filii fratris vtrinque coniuncti, fratrem vno ex latere iunctum, hoc eſt, conſanguineum vel vterinum, vel eorundem filios excludat. Verum hoc ipſum duplicitatis vinculum, quod ex fraternitate communi ducit originem, non vult Iuſtin. vltra fratres, fratrumque filios attendendum eſſe. Quare ſi moriatur quispiam ſine deſcendentib. & aſcendentibus, relictis nepotib. fratris, ex vtroque latere coniuncti, cum nepotib. fratris ex vno latere copulati; non attenta duplicitate vinculi, qua nituntur nepotes fratris vtrinque coniuncti, nepotes fratris, ex vno latere coniuncti, per illos non excludentur, ſed ſimul cum illis ab inteſtato ſuccedent. Haec autem duplicitas vinculi, in fratribus vtrinque coniunctis, eorumque poſteris ſub-

ſubſiſtens, non efficit, vt vna perſona duas perſonas ſuſtinere intelligatur. Nam frater vtrinque connexus, quamuis eodem patre & matre defuncto coniunctus ſit: non idcirco tamen pro fratre conſanguineo, aut pro fratre vterino tantum habetur: ſiquidem impoſſibile eſt, vt frater vtrinque coniunctus, ſit frater conſanguineus vel vterinus ipſius defuncti. Id quod hoc modo oſtenditur: quia frater germanus definitur, qui ex eodem patre & matre genitus eſt: conſanguineus, qui ex eodem tantum patre; vterinus, qui eadem tamen matre natus eſt. Sicut itaque ἀδύνατον & impoſſibile eſt; vt, qui eodem patre & matre natus eſt, dicatur eadem matre tantum natus eſſe, vel natus eſſe eodem patre tantum: ſic impoſſibile eſt, vt frater defuncti germanus, ſit eiusdem conſanguineus vel vterinus, & vice verſa. Eadem ratione eſt impoſſibile, vt filius fratris, vtrinque

que coniuncti, sit filius fratris consanguinei vel vterini. Et ita consequenter de nepotibus & pronepotibus fratrum iudicandum. Quemadmodum vero in vna persona non possunt haec re ipsa concurrere: ita nec vna persona ob eam rem pro duabus personis haberi potest. Fictio enim non potest fingere super impossibili neque locum habere, vbi veritas locum habere nequit: siue consideremus impossibilitatem naturae siue etiam iuris. l. adoptio 16. ff. de adoption. l. qui ad certum 14. in fin. ff. loc. l. certe 6. in princ. ff. de prec. l. si tibi elect. 8. §. vnius ff. de opt. vel elect. leg. gloss. in l. talis scriptura 30. §. vlt. super verb. vniuersa ff. de leg. 1. late & pulchre Bartolus in leg. eundem. 9. n. 2. ff. de duobus reis constituend. idem Bartholus latius in lege si is, qui pro emptore 15. n. 22. & seqq. ff. de vsurpat. & vsucap. ibidemque Iason num. 209. & seq.

Ex

Ex his probe & exquisite perpensis cernere promptum est: quod communis doctrina, de duplicitate vinculi vltra fratres fratrumque filios non attendenda, decisioni nostrae non aduersetur. Nam in proposita quaestione agitur de tali duplicitatis nexu, qua mulier Titia & neptis ex auunculo magno, & neptis ex amita magna simul est: propter quod duplicis cognationis vinculum mulier ista duárum personarum vicem sustinet, & iure sustinere potest: cum impossibile non sit, vt neptis ex auunculo magno, simul etiam neptis sit ex amita magna. Regula autem Doctorum de tali duplicitatis vinculo loquitur, ad quod nulla personarum multiplicitas considerari potest, vt supra ostensum. Sed & quod illa doctrina, qua traditur vltra fratres fratrumque filios duplicitatem vinculi non esse considerandam, non obstet, quo minus in proposito casu Titia duas capiat portio-

nes, inde manifestum est: quia Iustinianus in d. Nouell. 118. c. 3. §. si vero, &c. & dict. Auth. post fratres, fratrumque filios. C. de legit. heredib. pluribus cognatis, eodem gradu defuncto coniunctis, pro numero personarum hereditatem ab intestato defert; vt, quot sunt personae, tot partes fiant. Atqui nostro in casu Titia duas constituit personas; propter duplicem coniunctionem. Ergo ex mente Iustiniani & Doctorum huic mulieri Titiae minime refragatur regula, de duplicitate vinculi vltra fratres fratrumque filios non attendenda: sed, ea prorsus non obstante, duas illa hereditatis portiones accipit.

Similiter nostram assertionem non euertit, quod duae causae lucratiuae in vna eademque persona, circa eandem rem, eodem tempore concurrere non possint. §. si res aliena 6. supr. de legat. l. omnes 17. & l. ex pro-

promiſſione. 19. ff. de obligat. & act. l. ſi ſeruus legatus 108. §. Stichum ff. de legat. 1. l. Maeuius 66. §. 1. ff. de legat. 2. l. nutu 21. §. 1. ff. de leg. 3. Primum enim in noſtra ſpecie Titia pro duabus perſonis, iuris interpretatione habetur. Dubium autem non eſt vllum, quin duae lucratiuae cauſae in duabus diuerſis perſonis locum habere poſſint. Deinde duabus lucratiuis cauſis locus eſſe poteſt in vna & eadem perſona, quoties cauſa acquiſitionis variatur; vt, poſt Baldum, Caſtrenſem, Cumanum, Alexandrum, Iaſonem, Lancellottum & Decium in l. plane 34. §. 1. ff. de legat. 1. docet Ioannes Petrus Surdus praedicto conſil. 119. num. 1. Sed in propoſito caſu variatur acquirendi cauſa. Vna namque portio Titiae tanquam nepti ex auunculo magno, altera tanquam nepti ex amita magna debetur. Atque huic deciſioni, vt iuris & aequitatis rationibus conſentaneae,

Domini Collegae mei plerique olim, nimirum D. Halbritterus, D. Varenbülerus, D. Magirus & D. Bocerus (quos omnes debiti amoris causa hic nomino) haud inuiti subscripserunt 5. die Martii, Anno Christi 1604. quo haec ipsa controuersia decidenda emersérat. Tametsi decisionem similem improbare videatur Tilemannus Roenerus quaest. 8. prout eum refert D. Collega Besoldus in thesauro practico, num. 51. pag. 826.

Hactenus HARPPRECHTVS. Hunc excipiat, HVLDER. ab EYBEN contrariam sententiam amplexus, in *Obseruat. theor. pract. ad Institut.* disq. XIII. obs. 16. in *Scriptis* EYBENII ab HERTIO editis p. 117. seq. vbi ita verba fiuunt: Altera est regula de agnatis vel cognatis vlterioribus, *eos pari in gradu constitutos succedere pari iure & in capita;* vt nempe tot fiant portiones, quot sunt personae, ac singulis singulae

gulae cedant. Istam vero definitionem fallere docent nonnulli, quando inter huiusmodi transuersales concurrentes est aliquis defuncto, duplici ratione seu iure, sowohl vom Vater als von der Mutter und also auf zweyerley Recht coniunctus. Finge ex tribus fratribus, *Primo Secundo & Tertio*, duos priores matrimonium inire cum duabus sororibus, *Quarta & Quinta*, zween Brüder freyen zwo Schwestern, id quod apud nos non raro vsu venire constat: *Tertio* aliam quandam virginem vxorem ducente: decedunt fratres; *Primus* relinquit filiam *Sextiam*, secundus filium *Septimium*, *Tertius* filium *Octauium*, porro & *Septimius* moritur. De hereditate cernenda inter *Sextiam* & *Octauium* lis exoritur. *Octauius* eam in duas partes aequales distribui, sibique alteram, alteram *Sextiae* dandam contendere; ex praescripto Nou. 118. c. 3. in fin. Ex aduerso *Sextia*, se simul & patruelem

lem defuncto esse & consobrinam, *Octauium* patruelem duntaxat; proindeque, hereditate in *tres* partes diuisa, sibi duos trientes, vnum tanquam patrueli, alterum vti consobrinae, tertium modo, qui supersit, patrueli *Octauio* deberi. Et pro *Sextia* contra *Octauium* responderunt, d. 5. Maii 1604. D. *Halbritterus*, D. *Valenbuelerus*, D. *Magirus*, D. *Bocerus* &, qui ea de re in *Comm.* ad I. de *hered. quae ab intest.* n. 471. testatur D. *Harprechtus*: quos secuti sunt DD. Scabini Lipsiae ap. *Carpzov* Ip. for. P. 3. const. 18. defin. 26. Summa argumentorum, ceu nimirum innuimus, huc redit: *Sextiam* duplici iure niti; & agnationis, & cognationis, seu & patruelem *Septimio* esse & consobrinam, eam ergo pro duabus personis haberi & duarum iure portiones ferre. Qua in re pluribus ornanda & illustranda operosus est *Harprecht.* ad d. pr. num. 454. cum seqq. Addunt quoque (ne quis *duplici*

plicitatem vinculi vltra fratres fratrumque filios non attendi, obiiciat scilicet) longe aliam hoc in casu praerogatiuam duplicis illius iuris esse; atque eam, quae ex vinculi duplicitate venit. Et certe, pro eo, quo succeſſuri & defunctus vel vtrumque vel alterutrum duntaxat parentem communem habent, vel adest, vel abest vinculi ista duplicitas. Iuris autem illa duplicitas, vt sic loqui liceat, non tam spectatur in ordine, quem succeſſuri & defunctus ad parentes suos, quam potius in ordine, quem ipsi eorum parentes inter se inuicem habuere. Tum regulam supra propositam non obstare, tres enim hic, saltem ciuiliter & iuris potestate, inueniri personas: *Sextiam* consobrinam, *Sextiam* patruelem, & *Octauium* patruelem.

Verum, quidquid sit, impetrare nondum a nobis potuimus, vt huic sententiae vlterius, quam meretur tantorum, quae laudauimus, nomi-

num cultus & auctoritas, subscriberemus. Fatemur equidem: diuersas qualitates in vno vtut eodem subiecto concurrentes, diuersos saepe singulas solere producere effectus: quem articulum per omnes iuris nostri partes eundo, multo etiam pluribus, atque ab *Harprechto* allata, exemplis comprobare, nullo negotio possemus. At non nisi de genuinis & veris effectibus id accipiendum: si quae enim sola licet existens qualitas certum aliquem effectum producere nescit; quomodo alii iuncta in eodem subiecto & permixta eundem producet geminatum? Iam verum in hoc transuersalium ordine, vt quis aequalem cum suis coheredibus capiat portionem, causa proxima & adaequata non est vinculi sanguinis qualitas, sed quantitas seu graduum aequalis distantia parque ratio, l. 2. §. 2. ff. de *suis & legit.* Nou. 118. c. 3. fin. Nec potest negari eodem modo, quo germanus

manus fratri germano, *Sextiam Septimio*, & quo conſanguineus conſanguineo, eidem *Octauium* coniungi: illam puta vtroque, iſtam altero tantum parente. Et tamen germano non duas partes, ſed vnam, conſanguineo non vnam, ſed nullam, leges noſtrae aſſignant. Vt tanto minus contra hanc iuris analogiam fictiones eiusmodi comminiſci debeamus: quas alioquin, iure non inductas, noſtrum non eſt fingere. Ius repraeſentationis, & ipſum fictione valde fauorabili expreſſoque iure ſubnixum, non tamen vltra, quam legibus definitum, extendere audent noſtri: prout videre eſt in Disputatione de *fratrum liberis ſolis* in ſtirpes vel capita ad hereditatem vocandis. Quod ſi denique hac in re manus dederimus, ad deſcendentium quoque & aſcendentium ordines, exemplum tranſibit. Schema partim ex l. 3. ff. de *ritu nupt.* deſumptum tale eſt:



Henrico, Maria, Eugenia, Iohanne, Pulcheria

cheria praemortuis, Christianus quoque vita fungitur, heredes relinquens vtrumque proauum, superstitem, Hugonem & Fridericum: quorum nunc ex doctrina Harpprechti & Carpzouii, iste in duobus trientibus, ille in vno heres foret. Et vice versa Friderico defuncto, ex pronepotibus Christiano & Burchardo solis superstitibus, ille in octo, iste in quatuor vnciis heres foret. Hactenus EYBENIVS.

Tertium locum assignamus IOAN. GEORGIO SIMONI, qui *dissertationem* de *successione ab intestato ex duplici vinculo duplicitatis*. Halae 1693. ventilauit. Confusum est opus, cui lumen ademtum, notionibus distinctis plane destitutum. Ceterum in linea *descendente* & *collaterali* affirmatiuam tuetur sententiam, *responsis* pluribus illustratam. In linea autem *ascendente* negat; sed quae profert, sensum non habent: nam cum de *ascendentibus* in th. 13. dicere instituerat, ad *fratres germanos* aberrat, & responsum *Scabinorum Ienensium* & *Lipsiensium*, quod neutiquam de *ascendente duplici*, sed de *fratre germano* loquitur, peruerse huc trahit, in responso enim illo *abauia Tullia* non erat *duplex*, sed *simplex ascendens*, quod expresse quoque dicitur.

Aienti quoque sententiae subscripserunt CHRISTOPH. PHIL. RICHTERVS in *tr.* de *iure & ordine successionis ab intestato* Sect. 3. m. 4. n. 26. BENED. CARPZOVIVS in *Iurispr. for.* Part. III. Conf. 18. def. 26. GEORG. ADAM. STRVVIVS Exercit. 38. th. 36. ibique PETR. MÜLLERVS, & in *iurispr. forens.* lib. 2. tit. 30. §. 22. SAM. STRYKIVS in *tr.* de *succeff. ab intest.* diff. 3. c. 1. §. 27. SE-

SECTIO II.

NOTIONES ET NOSTRAM DE COGNATORVM DVPLICIVM, TRIPLICIVM &c. SVCCESSIONE SENTENTIAM EXHIBENS.

§. 1.

COGNATIONIS GENERA DVO.

Cognationis, voce latius accepta, *duo* ſunt genera, ſucceſſionem ab inteſtato ceteris paribus operantia, *naturalis* puta & *ciuilis*; quarum *prior*, *vero ſanguinis* nexu: *poſterior adoptione* nititur. Nam *ſpiritualis* cognatio plane huc non pertinet. (ſupra §. 38.)

§. 2.

COGNATI VTROQVE GENERE TALES.

Cognati vel *vno* cognationis genere (§. 1.) coniuncti ſunt vel *vtroque*. Si illos *ſimplices*, hos *duplices* vocare tibi placet, per me licet. Hoc ſaltem notes, Doctores noſtros, de

cogna-

cognatis duplicibus disputantes, hanc distinctionem sicco transire pede, & vnice de cognatis *vno* cognationis genere coniunctis loqui, in quo tamen omnino culpandi videntur.

Ceterum eiusmodi cognati *duplices* vel *descendentes & ascendentes* vel *collaterales* esse possunt. Porro vel *vtroque* genere *descendentes & ascendentes*, aut *collaterales*, vel *vno descendentes & ascendentes*, *altero* autem *collaterales*. Exempli gratia: Si *auus maternus* adoptat *nepotem*, ille *ascendens*, & hic *descendens* est *vtroque* genere, quamuis diuerso respectu, nam *naturaliter* sunt *auus & nepos; ciuiliter* vero *pater & filius*. *Filia* vero s. *mater*, cuius filius ab *auo materno* adoptatur, nunc *ciuiliter* eius *soror & nepos* adoptatus naturalis matris suae *frater ciuilis* fit: *naturaliter* vero *mater & filius* inter se sunt & manent.

Quodsi

Quodſi nunc contingit, vt *vtrumque* genus cognationis, quo quis cum defuncto coniunctus eſt, in praeſenti caſu ſucceſſionis *concurrat*, & vna qualitas alteram non excludat, ex vtroque ad ſucceſſionem admittendus eſt, & *duplicem* portionem ex hereditate capit, quae tamen portio diuerſa eſſe poteſt ſecundum regulas ſupra a nobis traditas. Dabo exempla: *Auus maternus* ex *tribus* nepotibus *perfecte* adoptauit *vnum*. *Filia* ante patrem moritur. *Auus maternus* decedit tribus illis *nepotibus* ſuperſtitibus. *Vnus* illorum, ab *auo* adoptatus, tanquam *filius ciuilis* capit hereditatis *ſemiſſem*, alterum autem *ſemiſſem* accipiunt *nepotes* matrem ſuam *repraeſentantes*; & cum nepos ille adoptatus *naturaliter* maneat nepos, hunc alterum ſemiſſem cum fratribus ſuis diuidit. Lucratur ergo in hoc caſu ex *tota* hereditate *beſſem*. Quodſi *nepotum mater* adhuc in viuis eſſet, *nepos* ab *auo*

ad

adoptatus per *matrem* ſuam, *qua nepos*, excluderetur, & vnice tanquam *filius perfecte adoptatus* in capita ſuccederet cum *matre* ſua, tanquam *filia* defuncti *naturaliter tali*; ideoque tum *vtraque* qualitas *non concurreret*. Vertamus exercitii gratia hunc caſum, & fingamus *nepotem* illum *adoptatum* decedere. Quodſi *pater & mater naturalis* adhuc viueret, & *fratres ſororesue germani* aut eorum *filii fitiaeue* non adeſſent, *auus*, tanquam *pater ciuilis* cum illis ſuccedit, & *tertiam* accipit portionem; quodſi *vnus* parentum *naturalium* cum *patre ciuili* ad hereditatem vocatur, aequa lance hereditatem diuidunt: nam in vtroque caſu *auus*, *tanquam auus*, per *patrem matremue naturalem* iure *proximitatis* excluditur, & vnice tanquam *pater perfecte adoptiuus* ad hereditatem vocatur. Idem valet de caſu, quo, praemortuo *patre matreque naturali*, *auus* ille cum defuncti *fratribus germanis naturaliter*

ter talibus, eorumue *filiis* ſuccedit. Hoc enim caſu auus, vnice tanquam *pater perfecte adoptiuus* ad ſucceſſionem vocatur, & ipſe, qua *pater ciuilis*, impedimento ſibi eſt, quo minus tanquam *auus naturalis* ſuccedere queat. (conf. ſupra §. 66.) Vides ergo in *perſona adſcendentis vtrumque* cognationis genus *ſimul concurrere* & ſucceſſionem operari non poſſe; niſi in *vnico* illo caſu, ſi forſan *pater naturalis* filium *emancipatum* iterum *arroget*, & *mater naturalis*, filio decedente, ſuperſtes ſit: tum enim *pater* beſſem & *mater* trientem acciperet.

Dari ergo *hoc in ſenſu* cognatos *duplices* non ſolum extra controuerſiam poſitum eſt, ſed & illud omni caret dubio, quod ſi *vtrumque* cognationis genus, ad ſucceſſionem in praeſenti caſu efficax, in quadam perſona *concurrat*, illam perſonam *duplicem* capere hereditatis portionem.

Sed

Sed mittamus *hos duplices* cognatos, & progrediamur ad *illos*, de quibus proprie sermo est.

§. 3.

COGNATI VNO GENERE TALES SVNT VEL SIMPLICES VEL DVPLICES.

Cognatos, qui *vno* cognationis genere (§. 1.) coniuncti sunt, in *simplices*, *duplices*, *triplices* &c. diuidi posse, nunc probabimus. Necesse tamen est vt *descendentes* & *ascendentes* a *collateralibus* distinguamus; vtrorumque enim diuersa quaedam est ratio, a *stipite communi* proueniens, qui in *descendentibus* & *ascendentibus* exulat, & vnice in *linea collaterali* locum habet.

Scholion. Male igitur HEINECCIVS in *Elem. iur. ciuil. sec. ord. Instit.* §. 152. *cognatos in genere* definit, *qui a communi stipite descendunt.* Nostras definitiones exhibuimus supra §. 17.

§. 4.

§. 4.

DESCENDENTES ET ASCENDENTES SIMPLICES, DVPLICES, TRIPLICES cet.

Descendentes & *ascendentes* genere cognationis *vno* coniuncti (§. 1. & 3.) vel per *vnam lineam rectam* tales sunt, vel per *plures diuersas lineas rectas*. Si illud *simplices* sunt; si hoc, vel per *duas lineas diuersas* vt genitores & geniti considerari possunt, vel per *tres pluresue*. Priore casu *duplices*, posteriore, *triplices*, *quadruplices* cet. vocari possunt. *Diuersitas linearum rectarum* cognoscitur ex personis *intermediis*, siue *omnibus*, siue *aliquibus*. In tabula aeri incisa dedimus exempla, & quidem *descendentium duplicium* in schemate I. II. III. & IV. *descendentium triplicium* in schemate XX. *quadruplicium* in schemate XXI. *Ascendentium duplicium* in schemate V. & VI. *triplicium* in schemate XXII. *quadruplicium* in schemate XXIII.

§. 5.

COLLATERALES COGNATI BILATERALES, VNILATERALES, SIMPLICES, TRIPLICES, cet.

Cognati *collaterales* ex *ſtipite communi* deſcendunt. *Stipes communis* eſt *proximus vtriusque collateralis cognati communis aſcendens. Proximus*, inquam, *communis aſcendens*, nam is ſub *ſtipite communi* ſemper intelligitur, non vero *vlteriores* huius *aſcendentis communis parentes*, licet hi *cognatorum collateralium* parentes *communes* ſimul neceſſario ſint.

Collaterales cognati vel *vtrumque ſtipitem communem* habent, vel *vnum*. In priori caſu dicuntur *bilaterales* volle Geburten, & ſpeciatim tales *fratres ſororesque* vocantur *germani*, vollbürtige Geſchwiſter, in poſteriori, *vnilaterales* halbe Geburten. Exempla exhibuimus in ſchemate VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII.

Ab hac *collateralium* in *bilaterales* & *vnilaterales* diſtinctione, a *ſtipite* com-

communi proueniente, plane diuersa est illa, quae *collaterales* in *simplices*, *duplices*, *triplices*, &c. distinguit. Cognati nempe collaterales *vno* cognationis genere (§. 1. & 3.) coniuncti vel per *vnam collateralem lineam tales* sunt vel per *plures*. Si prius, *simplices*, vocantur. Si posterius, vel per *duas* diuersas, vel *tres*, vel *quatuor* cet. *lineas* coniunguntur, & vel *duplices*, vel *triplices*, vel *quadruplices* cet. nominari possunt. Distinguas modo inter *lineam* & *latus*. Nam *lineam vnam* collateralem s. obliquam constare *duobus lateribus* neminem fugit.

Diuersitas linearum collateralium s. *obliquarum* s. *transuersarum* aestimatur ex personis *diuersis intermediis*, abstrahendo a *stipite communi*; quae personae *intermediae* vel *omnes*, vel *aliquae*, diuersae sunt.

Diuersitas vero *linearum*, quae *vnice* ex *pluralitate vtriusque stipitis*

communis descendit, huc non pertinet; quod probe notandum est. Nam *fratres germani*, licet *vtrumque communem stipitem* habeant, inter se tamen sunt *simplices collaterales cognati*; Idem valet in liberis *fratrum germanorum qua talium* & sic porro. Existentiam *duplicium* collateralium cognatorum probatam dedimus in schemate XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. & XIX. *triplicium* in schemate XXIV.

Ex his perspicuum est, distinguendam omnino esse *vinculi duplicitatem*, quae est inter cognatos *bilaterales*, & praecipue inter *fratres sororesue germanos*, eorumque *filios filiasue*, a *iuris duplicitate*, vti eam appellant Doctores, quae est inter *cognatos duplices*. *Illa* enim vnice in *linea collaterali* locum habet; *haec* vero in linea *descendente, ascendente & collaterali* concipi potest.

Deinde

Deinde *duplices*, *triplices* &c. collaterales cognati vel omni respectu esse possunt *bilaterales*, aut *vnilaterales*; vel partim *bilaterales* partim *vnilaterales*; quod ex schematibus euidens est.

§. 6.

VINCVLI DVPLICITAS IN SVCCESSIONE NON MVLTIPLICAT PORTIONEM, ATTAMEN IVRIS MVLTIPLICITAS.

Quod *vinculi duplicitas* (§. 5.) quae ex *vtroque communi stipite* in linea *collaterali* descendit, neutiquam tribuat *duplicem portionem*, extra dubitationem posita res est; haec enim *vinculi duplicitas* secundum *ius commune* vnice hanc operatur praerogatiuam, vt *fratres sororesue bilaterales*, eorumque *filii filiaeue* in classe *secunda* locum obtineant, & *fratribus sororibusue vnilateralibus* praeferantur. Secundum ius *Saxonicum* in fauorem cognatorum *collateralium bilateralium* obtinet regula: Die halbe Geburt tritt einen Grad weiter.

Iuris autem *multiplicitatem* in aliquo cognato, aut aliquibus cognatis, in obuio casu *concurrentem*, partem ex hereditate illis debitam suo modo multiplicare, me quidem iudice, statuendum omnino est; idque tam in *descendentibus* & *ascendentibus*, quam in *collateralibus*.

Et in *descendentibus* res omni vacare dubio videtur, quoniam ibi *iuri repraesentationis* in *infinitum* locus datur. (supra §. 22.)

Deinde *ascendentes* quidem non gaudent *iure repraesentationis*, (supra §. 44.) sed nec illo in hoc, de quo disputamus, casu opus est. Nam *iuris repraesentationis* vnice ille est scopus, vt quis cum persona, quae in alia linea *gradu propior* est, concurrat, qualis visio hic non adest; supponimus enim, quod *ascendens duplex, triplex &c. qua talis, eodem gradu*, quo alter ascendens concurrens defuncto iunctus est, cum defuncto cognatione quoque coniungatur. (§. 7.) Ea-

Eadem argumentandi ratio valet in *linea collaterali*, in qua *ius repraeſeutationis* vltra *fratrum germanorum filios* non extenditur. (ſupra §. 44.) EYBENIVS manifeſto confudit *vinculi duplicitatem* cum *iuris duplicitate*, & rationes ab HARPPRECHTIO expoſitas minime fregit: quibus ego quidem, re diu deliberata, ex animi ſententia ſubſcribere non dubito.

§. 7.

REGVLAE.

Verum haec doctrina iuſtis *regulis* circumſcribenda eſt.

Prima regula: Si quis ex *duplici, triplici* &c. cognatione *vnius* generis (§. 1.) portionem multiplicatam capere cupit, ratione *cuiuslibet concurrentis* cognationis ſucceſſionis plene capax eſſe debet. Fingamus *ſpurium* ex *nepote & nepte* diuerſarum linearum natum. Hic *proauo* ſuccedere nequit vt *duplex*,

ſed vt *ſimplex* deſcendens ſpectatur. Verte caſum, & habes exemplum in linea *aſcendente.* Finge porro fratris mei *filium* & alterius fratris mei *filiam* generaſſe *ſpurium*, hic in hereditate mea ab inteſtato diuidenda non eſt *duplex*, ſed *ſimplex* cognatus. Id quod ex principiis in ipſo *tractatu* de *ſucceſſione* a me explicatis patet.

Secunda regula: Si quis ex *duplici*, *triplici* cet. cognatione auctam portionem lucrari vult, ratione *duplicis*, *triplicis* cet. cognationis in praeſenti ſucceſſionis caſu *eum gradum* occupare debet, qui ad hereditatem vocatur. Siue illum gradum *vere* iam occupet, ſiue iure *repraeſentationis*, e. g. in linea *deſcendente*, demum obtineat, perinde hactenus eſt. Quae regula in *aſcendentibus & collateralibus* inſignem vſum praebet: praeſertim in *Saxonia*, vbi illud valet: die halbe Geburt tritt einen Grad weiter. Igitur in *Saxonia*, & vbicunque

cunque illa obtinet paroemia, curate inſpici debet, vtrum collateralis *duplex* cognatus *omni reſpectu* ſit *bilateralis*, aut *vnilateralis*: an partim *bilateralis* partim *vnilateralis*. (§. 5.) Illuſtrabimus hanc ſecundam regulam variis exemplis. In ſchemate VI. adeſt *a* proauus, & *b*, qui tam proauus quam abauus eſt. Sed qua *abauus* non concurrere poteſt, vtpote *remotior* in hac qualitate aſcendens. Et fieri poteſt, vt ſibi ipſe obſtet intuitu alterius qualitatis, e. g. in ſchemate VIII. vbi *a* portionem tantum *vnam* capit. In ſchemate XVI. *duplex* quidem cognatus eſt *a*, ſed in *vna* linea *quarto*, & in altera *quinto* gradu diſtat a defuncto, ergo *vnam* tantum portionem accipit.

Tertia regula: Aucta *portio*, quae debetur cognatis *duplicibus triplicibus* cet. aeſtimanda & multiplicanda eſt ex *regulis* ſucceſſionis ab inteſtato *generalibus*, pro diuer-

ſitàte caſuum, in quibus ſucceditur in *capita*, in *ſtirpes* & in *lineas* ſ. *genera*.

In linea ergo *deſcendente* obtinet in his caſibus ſucceſſio in *ſtirpes*. e. g. in ſchemate II. pronepos *a* accipit *beſſem*, *b* & *c trientem*. In ſchemate III. *a* accipit *ſemiſſem*, *b ſextantem* & *c d trientem*.

In linea *aſcendente* diſtinguendum eſt, vtrum *ſoli aſcendentes* adſint, an cum fratribus *germanis* eorumue *filiis* concurrant. Ibi enim in *genera* ſ. lineas; hic in *capita* ſuccedunt. (ſupra §. 45.) In *poſteriori* caſu aſcendens *duplex duplicem* & *triplex triplicem* perſonam ſuſtinet. Vide ſchema VII. In *priori* vero caſu *portio* ex *lineis*, ad analogiam ſucceſſionis *in deſcendentibus* obtinentis, ita determinanda eſt, vt illius lineae, quae in alias iterum abit lineas, portio *ſucceſſiue* diuidatur. Sic in ſchemate V. *b* accipit *dodrantem*. In ſchemate XXII. *a* accipit *dextantem*

tantem & ſemunciam ſeu $\frac{11}{24}$. In ſchemate XXIII. aceipit *a* $\frac{15}{48}$, & *b* $\frac{3}{48}$. A vero ergo aberrauit EYBENIVS, qui in exemplo, ab ipſo propoſito, proauo Friderico tribuit *duos trientes* ſ. *beſſem*, cum tamen illi debea tur *dodrans*. conf. SAM. STRYKIVS in *tr.* de *ſucceſſ.* ab *inteſtato*, Diſſ. II. c. I. §. 20.

In *collaterali linea quilibet* cognatus *duplex*, ſiue *vnus*, ſiue *plures* eiusdem lineae ſint, *duplicem*, *triplex triplicem* cet. perſonam gerit, & hoc modo pro *numero* perſonarum in *capita* hereditas diuiditur. Ergo in ſchemate XXIV. *a* accipit $\frac{1}{7}$, *b* $\frac{2}{7}$, *c* $\frac{3}{7}$ & *d* $\frac{1}{7}$. Si fingimus, quaslibet has perſonas habere fratrem, hereditas diuidenda eſſet in *quatuordecim* portiones; & ſic in ſimilibus.

§. 8.

DEFINITIO GENERALIS.

Iam periculoſum non erit, ex his principiis generalem *cognatorum duplicium*

plicium, *triplicium* &c. notionem formare. Iterum tamen moneo, de cognatis, ex *vno* cognationis genere talibus, ſermonem nobis hic eſſe. (§. 1. 2. & 3.) Cognatos ergo *duplices*, per *vnum* cognationis genus coniunctos, generatim definio *cognatos*, *qui per duas diuerſas lineas*, *abſtrahendo a communi ſtipite*, (i. e. quae *diuerſae* lineae inter cognatos *collaterales* per *ſolum* ſtipitem communem *vtrumque* non conſtituuntur. §. 5.) *coniuncti ſunt*. Cognati *triplices* ſunt, qui per *tres* diuerſas lineas &c. Et ſic porro.

Atque ex his, ſatis impeditam variisque tenebris inuolutam, quid? quod hactenus quaſi derelictam de *ſucceſſione duplicium*, *triplicium* cet. *cognatorum* doctrinam, cuilibet, rei probe attendenti, pronam, intellectuque quam facillimam fore, non temere mihi habeo perſuaſum.

AVCTA-

I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X.



XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII.



XIX XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV.



AVCTARIVM IV.

AD §. XXIII.

SIVE

DISSERTATIO

DE

SVCCESSIONE NEPOTVM.

Dictum

Dictum est supra (§. 23.) in classe *descendentium tres* occnrrere casus: *Imus*, si soli liberi *primi* gradus adsunt; qui succedunt in *capita* NOV. 118. c. 1. *IIdus*, si cum liberis *primi* gradus concurrunt liberorum *primi* gradus *praedefunctorum* liberi, scil. *nepotes*, *pronepotes* &c., & tunc illi in *capita*, hi in *stirpes* suscedunt. NOV. 118. c. 1. *Rec. imp.* de 1500. §. 19. IIItius, si *soli nepotes* adsunt; vel *ex eadem stirpe*, vel ex *diuersis stirpibus*. Si ex *eadem stirpe;* per *accidens* fit, vt *in capita* succedant, quamuis itidem ex *iure repraesentationis*. COCCEII in *diss.* de *succes. nepot.* S. 1. §. 5. seqq. Si *soli nepotes* ex *diuersis stirpibus* concurrunt, in *stirpes* successio fit ex *iure repraesentationis*. §. 6. & vlt. I. de

de hered. quae ab inteſt. defer. ibique SCHNEIDEWINVS, VVLTEIVS, VINNIVS aliique, l. 2. C. de *ſuis & legit.* NOV. 118. c. 1. RICHTER de *ſucceſſ. ab int.* S. 1. n. 87. SCHVRER. de *hered. quae ab int. def.* pag. 60. LAVTERBACH c. l. §. 12. STRVV Ex. 38. th. 19. COCCEII in cit. *diſſ.* FLECK in *Biblioth. iur. ciu-* lib. 2. tit. 51. n. 16. STRYK. c. l. diſſ. 1. c. 2. §. 35. Nec ego vllum inuenire potui Doctorem, qui, *ſolos diuerſarum ſtirpium* concurrentes nepotes in *capita* ſuccedere, affirmaret. Hoc enim certum eſt, ea, quae in Rec. imp. de 1529. §. 31. de caſu, ſi diuerſorum fratrum ſororumue filii filiaeue in *linea collaterali* ſoli ſolaeue adſunt, diſpoſita ſunt, huc non pertinere. STRYK. c. l. diſſ. 3. c. 1. §. 10. Interim STRYKIVS c. l. ſcrupulum, vt comperi, multis iniecit, his verbis: *Quamuis enim hi ipſi aequali gradu ab auo diſtent, & inde etiam aequali iure, ac in capita ſuccedere debeant; attamen quia nepotes ex communi Dd. opinione,*

non

non tam iure proprio, quam iure a parentibus suis ad se transmisso, succedunt; hinc nihil amplius capere poterunt, quam parens eorum, ex cuius iure, vel in cuius locum succedunt, percepisset. --- Ceterum contra communem sententiam, nepotes iure proprio, non iure transmisso succedere, late disputat FORSTER lib. 4. c. 20. add. SVTHOLT diss. 11. aph. 51. His verbis seducti crediderunt, FORSTERVM & SVTHOLTVM ea in opinione esse, ac si *nepotes diuersarum stirpium*, si *soli* essent, in *capita* succederent. Sed vtrique iniuria fit. Nam quod ad FORSTERVM attinet, is in tr. de *hered. quae ab int. deferuntur* lib. 4. c. 15. clarissimis verbis docet, *solos* nepotes ex *diuersis filiis* in *stirpes* succedere. Deinde in lib. 4. c. 20. quaestionem inter Doctores agitatam: *vtrum nepotes, qui ex iure repraesentationis succedunt, ex sua propria, an vero ex patris persona succedant?* tractat quidem, & vtriusque opinionis argumenta refert, sed

nihil decidit: potius simul optime n. 10. monet, quo illa disputatio hactenus non mutet, successionem nepotum, sed quod ea semper fiat in *stirpes*. Quod *vltimum* etiam concedit IO. SAM. FRID. BOEHMERVS in *diss.* de *nepotibus auo iure proprio succedentibus* Francof. 1762. p. 3., quamuis hic *nepotibus* ius successionis *proprium* vindicet. *Haec* igitur quaestio cum *illa*: *vtrum nepotes in capita, an in stirpes succedant*, necessarium nexum non habet; potest enim quis ex iure proprio succedere, licet *virilem* portionem non accipiat, e. gr. ascendentes, si *soli* sunt, in *lineas* succedunt, & tamen iure proprio vocantur. (§. 44. 45.) BOEHMER cit. *diss.* S. 1. §. 7. Deinde SVTHOLTI verba haec sunt: *Quinimo licet omnes filii sint ante patrem mortui, nepotes tamen auo succedunt non in capita sed in stirpes, quod olim hac nitebatur ratione, quia descendentes iure suitatis tantum admittebantur, adeoque necessario praemortui parentis locum ingredi debebant. At postquam Iustin. d. Nou. 118. naturalem potius, quam ciuilem, rationem attendi voluit, debebant hi nepotes, vtpote suo iure ex sua quisque persona venientes, in capita succedere. Sed Iustin. non satis acute semper vidit, quid consequens esset, sublata iuris antiqui subtilitate.* Apertum est, SVTHOLTVM loqui de iure, a IVSTINIANO *constituendo*,

do, non de iure ab eo *constituto*; de quo *posteriore* iam sermo est.

Ceterum rationem successionis *nepotum in stirpes* ex iure *Romano* nemo solidius & accuratius exposuit quam ANT. CONTIVS in *Operibus* ab EMVNDO MERILLIO editis *Paris* 1616. pag. 293. seqq. Constitueram igitur ab initio, integram CONTII tractationem huic libello inserere, sed quia ob instantes nundinas maturato opus erat, mutare debui consilium, & satis nunc habeo, Lectoribus egregiam illam disquisitionem indicasse.

Postremo non ingratum erit lectoribus, errores quosdam circa FORSTERI tract. excit. commissos, emendatos hic inuenire. *Bibliotheca Lipeniana* edit. nouiss. Lips. 1757. sub voc. *succeff. ab inteſtato* refert: GVIL. VAL. FOERSTER de *succeff. ab int.* Mogunt. 1607. 4. VAL. FOERSTER. de *succeff. ab int.* Heidelb. 1583. Errores in his deprehendo sequentes. 1) FORSTERVS scribendum est, non FOERSTERVS; 2) VALENTINI filius VALENTINVS GVILIELMVS, qui erronee GVIL. VALENT. cognominatus est, non scripsit tr. de *succeff. ab inteſt.*, sed pater VALENTINVS FORSTERVS. 3) Hic tractatus primum prodiit *Basileae* 1566. fol. apud OPORINVM sub

rubro: *de succeſſionibus quae ab inteſtato deferuntur libri quinque*; non vero in capita aut ſectiones, diuiſus eſt. Deinde *noua* plane, & priori multum auctior, *capitibus & numeris marginalibus* diſtincta, editio prodiit *Coloniae Agripp.* apud IOAN. GYMNICVM 1594. fol. ſub rubro: de *hereditatibus, quae ab inteſtato deferuntur, libri nouem.* Dedicatio ſubſcripta eſt a VALENT. FORSTERO *Vormatiae* XXII. febr. 1594. in qua prioris editionis *Baſileenſis* his verbis mentionem iniicit: *De his ſucceſſionibus ab inteſtato ante multos annos iuuenis adhuc commentarium ſcripſi, quem deinde in lucem emiſi --- ad reuidendum eum & augendum --- me contuli. --- Id ſane effeci, vt duplo auctior ſit: in quo volui oſtendere, poſteriores meditationes a prioribus, maturiores a iuuenilibus quantum diſtarent.* Ergo haec editio de 1594. inter *auctiores* eſt *prima*, & dubito, vtrum *Heidelbergae* hic liber vnquam excuſus ſit. Poſtea hic egregius liber *Moguntiae* 1607. 4. & *Francofurti* 1615. 8. recuſus eſt: quae editiones omnes ad manus mihi ſunt.

AVCTA-

AVCTARIVM V.

SEV

RESOLVTIO

AENIGMATIS.

CAROL. FERD. HOMMELIVS in *Iurispr. numism. illustr.* libr. 1. *mon.* 9. picturam exhibet, cui aenigma subscriptum.

Diese Kind sind unsre Kind.
Ihre Väter unsre Brüder sind.
Und dieses doch in rechter Eh.
Nun rathe wie die Sippschaft steh?

Idem aenigma totidem fere verbis iam proposuit TITIVS in tr. von Erbfällen. Nordhaussen 1749.

HOMMELIVS id recte interpretatur de casu, si Titius Caii sororem, & Caius Titii sororem in matrimonium duxit: vide exemplum in schemate XV.

Tota res aperta est, si regulam adhibemus: *Consanguinei duorum coniugum inter se non sunt affines.*

Iniuriam vero HOMMELIO fecit IO. HENR. CHR. de SELCHOW in der Jurist. Bibliotheck 1. B. S. 51. vbi haec refert & iudicat:

7) Erkläret ein räthselhaftes Closter-Gemählde, auf welchem zwo Weiber mit zween

zween auf ihrem Schoos sitzenden Kindern abgebildet werden, mit der Unterschrift:

Diese Kind sind unsre Kind,
NB. Ihre Väter Brüder sind.
Und dieses doch in rechter Eh.
Nun rathe, wie die Sippschaft steh?

Und löset solches S. 32. auf. Fiel Herr Hommel denn nicht auf die Ehe zwoer Schwestern mit zween Brüdern?

Hoc non est ingenue recensere & aenigma felicius soluere, sed temerare. Fallacia tota latet in versu erronee descripto:

Ihre Väter Brüder sind.

Quid enim aenigmatis & perplexitatis latet in matrimonio duarum sororum cum duobus fratribus? Nec ille casus ad aenigma ab HOMMELIO relatum quadrat.

Interim nec id silentio praeterire possum, aenigma illud tam perplexum adeo non esse, vt solutio illius desperata haberi possit. Ante plures enim annos eandem resolutionem, quam HOMMELIVS profert, iam cognitam habui, & mecum plures.

CON-

CONSPECTVS LIBELLI.

SECTIO I.

Generalia continens.

1. Quid sit successio, delata & adquisita.
2. Quotuplex successio, & quid successio legitima.
3. Quotuplex successio ex iure romano.
4. De successione pactitia secundum ius romanum.
5. Successio ex iure ciuili veteri.
7. Quotuplex successio in Germania.
8. Varia conditio successionis legitimae in Germania.
9. Quis intestatus sit.
10. Duplex quaestio principalis in successione legitima.
11. Quo tempore proximitas spectatur.
11. *b* Quo tempore heres legitimus capax esse debeat hereditatis? Agitur etiam de posthumis.
12. Ius repraesentationis.
13. Quid successio in capita, in stirpes, in lineas.
14. Secundum quas leges in collisione succedatur.
15. Secundum quaenam iura vagabundo succedatur.
16. Successio ab intestato duplex.

SECTIO II.

De

Successione ab intestato cognatorum ex Nouella CXVIII.

17. Cognatorum genera.
18. Classes cognatorum constituendae.
19. Quot classes secundum Nou. CXVIII.? Quot secundum Ius Saxonicum?
20. Principia circa has classes.

CLASSIS PRIMA.

Descendentium.

21. Non attenditur sexus & suitas.
22. De iure repraesentationis in hac classe.
23. Vtrum in capita, an stirpes, succedatur.
24. Descendentes vel ex vno matrimonio, vel ex pluribus adsunt: vbi & de poenis secundarum nuptiarum agitur.
25. Descendentes veri legitime nati ex iustis nuptiis.
26. Descendentes ex matrimonio putatiuo.
27. De nato ex sponsa.
28. Descendentes legitimati per subsequens matrimonium.
29. Descendentes legitimati per rescriptum principis plene.
30. Descendentes legitimati per rescriptum principis minus plene.
31. Descendentes illegitimi naturales.
32. Descendentes illegitimi spurii.
33. Vtrum in Germania naturales & spurii patri succedant in sextantem?
34. Descendentes illegitimi vulgo quaesiti.
35. Descendentes adulterini.
35. *b* Descendentes incestuosi.
36. Descendentes ex stupro violento aut nec violento, nec voluntario.
37. Descendentes ex bigamia.
38. Quid & quotuplex cognatio spiritualis? Descendentes spirituales.
39. Descendentes adoptiui imperfecte.
40. Descendentes adoptiui perfecte.
41. Descendentes arrogati.
42. Adoptatus a femina.

CLAS-

CLASSIS SECVNDA.

Aſcendentium propiorum, fratrum ſororumque bilateralium ſuperſtitum, & horum harumue praemortuorum praemortuarumue filiorum filiarumue.

43. Quinam in hac claſſe vocantur.
44. De iure repraeſentationis in hac claſſe.
45. In quantum ſuccedatur?
46. Diuerſitas bonorum non attenditur.
47. Quid pater praecipuum habeat, & non habeat?
48. De binubo patre matreue.
49. Quinam aſcendentes ſucceſſionis capaces?
50. Aſcendentes veri legitimi ex iuſtis nuptiis tales.
51. Aſcendentes ex putatiuo matrimonio.
52. Aſcendentes ex ſponſalibus publicis.
53. Aſcendentes per ſubſequens matrimonium legitimi facti.
54. Aſcendentes per reſcriptum principis plene legitimi facti.
55. Aſcendentes in caſu legitimationis per reſcriptum principis minus plene factae.
56. Aſcendentes illegitimi naturales.
57. Aſcendentes illegitimi ex ſtupro voluntario tales.
58. Vtrum pater filiis filiabusue illegitimis naturalibus aut ſpuriis hodie ſuccedat in ſextantem?
59. Aſcendentes illegitimi ex fornicatione.
60. Aſcendentes adulterini & inceſtuoſi.
61. Aſcendentes ex ſtupro violento & nec violento nec voluntario.
62. Aſcendentes ex bigamia.

63. Aſcen-

63. Aſcendentes ſpirituales.
64. Aſcendentes adoptantes imperfectae.
65. Aſcendentes adoptantes perfecte.
66. Aſcendentes arrogatores.
67. Mater adoptans.
68. Collaterales cum aſcendentibus in ſecunda claſſe ab inteſtato ſuccedentes.
69. Germanus frater, germana ſoror.
70. Germani ex iisdem iuſtis nuptiis.
71. Germani ex iisdem nuptiis putatiuis.
72. Germani ex iisdem ſponſalibus.
73. Germani ex ſtupro violento aut non voluntario nec violento.
74. Germani ex iisdem parentibus illegitime nati, ſed per ſubſequens matrimonium legitimati.
75. Germani aliquando ex iisdem parentibus illegitime nati per reſcriptum principis plene legitimati.
76. Plures germanorum ſpecies non dantur.
77. Germanorum filii filiaeue, qui quaeue admittantur.
78. Succeſſionum caſus ſpeciales in hac claſſe determinantur.

CLASSIS TERTIA.

Fratrum ſororumue vnilateralium ſupertum, & horum harumue praemortuorum praemortuarumue filiorum filiarumue

79. Quinam in hac claſſe vocantur.
80. De iure repraeſentationis in hac claſſe.
81. In quantum ſuccedatur?
82. Diuerſitas bonorum quando attendatur?
83. Vnilateralis frater ſororue, conſanguineus & vterinus.

84. Vni-

84. Vnilaterales fratres ſororesque legitime nati.
85. Vnilaterales fratres ſororesue per reſcriptum Principis plene legitimati ad vnius Parentis preces.
86. Vtrum legitimatio minus plena per reſcriptum fratres ſororesue efficiat vnilaterales.
87. Vnilaterales fratres ſororesue ex concubinatu.
88. Vnilaterales ex ſtupro.
89. Vnilaterales fratres ſororesue vulgo quaeſiti.
90. Vnilaterales fratres ſororesue ex adoptione perfecta & arrogatione.
91. Non ſuccedunt fratres ex adoptione imperfecta tales.
92. Nec ſuccedunt fratres ſororesue adulterini, inceſtuoſi & ex bigamia tales.
93. Regula de concurſu fratrum ſororumue vnilateralium diuerſi generis.
94. Vnilateralium filii filiaeue qui quaeue admittantur.
95. Succeſſionum caſus ſpeciales in hac claſſe determinantur.

CLASSIS QVARTA.

Cognatorum reliquorum collateralium propiorum.

96. Quinam in hac claſſe vocantur.
97. Quinam cognati ſucceſſionis ab inteſtato capaces ſint.
98. Propior cognatus. Exulat ius repraeſentationis & duplicitas vinculi.
99. Cognati in infinitum ſuccedunt.
100. Succeditur in capita.
101. Bonorum diuerſitas non attenditur.

SE-

SECTIO III.

102. De Succeſſorio edicto.

SECTIO IV.

Succeſſ. ab inteſt. cognatorum ex iur ſax. Tranſitus ad ius Saxonicum.

CLASSIS PRIMA.

Deſcendentium.

103. Quid in illa iuris?

CLASSIS SECVNDA.

Aſcendentium.

104. Quid in illa iuris?

CLASSIS TERTIA.

Collateralium.

105. Quid in ea iuris?

SECTIO V.

De

Succeſſ. ab inteſt. ex ſpecialibus cauſſis.

106. Ordo dicendorum.
107. Socius liberalitatis imperialis.
108. Coniux ſuperſtes, non ſponſus ſponſaue.
109. Coniugis ſucceſſio ab inteſtato duplex.
110. Succeſſio coniugis pauperis.
111. Quis coniux locuples, quis pauper?
112. Quantum accipit, & quo iure?
113. Vtrum quartam iure hereditario accipiat?
114. Succeſſio coniugis, ſi defunctus aut non eſt locuples aut ſuperſtes non inops.
115. Collegia & corpora priuilegiata.
116. Qui furioſum ab heredibus ab inteſtato neglectum, praeuia atteſtatione ſuſcepit & ad finem vitae ſumtibus propriis procurauit.
117. Vltimo fiſcus venit.

118. Vtrum

118. Vtrum fiscus sit heres?
119. Fiscus an debita, legata & fideicommissa praestet?
120. Si plures fisci concurrunt.
121. Quo tempore hoc ius fisci amittatur.

SECTIO VI.

De

Successione ab intestato praetoria.

122. Bonorum possessio ab intestato.
123. Scopus Praetoris in danda B. P. edictali.
124. Edictum vnde liberi.
125. Edictum vnde legitimi.
126. Edictum vnde cognati.
127. Edictum vnde vir & vxor.
128. Tempus petendae B. P.
129. De nonagenaria praescriptione.
130. Hereditas ex iure ciuili praescripta, & B. P. adhuc salua esse potest.
131. Vsus B. P. ab intestato hodiernus.

AVCTARIVM I.

Dissertatio: Quatenus testator per querelam inofficiosi reddatur intestatus?

AVCTARIVM II.

Dissertatio: Vtrum absentium successio fiat ex nunc an ex tunc?

AVCTARIVM III.

Dissertatio: De cognatis duplicibus, triplicibus cet.

AVCTARIVM IV.

Dissertatio: De successione nepotum.

AVCTARIVM V.

Resolutio aenigmatis.

Nachricht für den Buchbinder.

Die Kupfertafel wird p. 268. eingeheftet.

Gieſſae, litteris Braunianis.

A.

Succeſſio hereditaria in iure romano definitur



quo refero omnes illas leges, quae per Nou. 118. abrogatae aut antiquatae sunt.

quo refero Nou. 118. & omnes leges priores, quae per hanc Nouellam abrogatae aut antiquatae non sunt.

B. Omnis succeſſio *legitima* ſ. *ab inteſtato* (die Inteſtat-Folge) hodie in Germania

eſt

I. *allodialis* (die Inteſtat-Erbfolge) quae fit

I. indiſtincte in omnis generis allodio, non habita ratione peculiaris naturae bonorum e. g. *ſtemmaticae*, *hereditariae*, &c. regiturque ideo *iure ciuili*, quod pro regula in omnibus bonis allodialibus obtinet.

Succeſſio legitima allodialis ciuilis ſ. *communis* ratione bonorum (die gemeine Inteſtat-Erbfolge)

I. regitur iure Romano per totam Germaniam communi

Succeſſio legitima allodialis ciuilis in Germania *communis* (die gemeine Inteſtat-Erbfolge nach dem Römiſchen, in Teutſchland gemeinen, Recht.)

I. iure prouinciali ſtatutarioue.

Succeſſio legitima allodialis ciuilis particularis, ſ. *prouincialis ſtatutariaue* die gemeine Inteſtat-Erbfolge nach provincial- oder ſtatutariſchem Recht.)

I. habito reſpectu ad diuerſitatem bonorum in allodio certae qualitatis & naturae, regiturque ideo *iure ſingulari* ex qualitate illa oriundo, tanquam exceptione a regula.

Succeſſio legitima allodialis ſingularis ſ. *propria* ratione bonorum (die beſondere oder eigene Inteſtat-Erbfolge, cuius exemplum eſt, die teutſche Erbfolge, in caſibus, vbi diuerſitas adhuc iſta attenditur e. g. *in allodio illuſtrium & nobilium auito*. Hic *iura Germanica & obſeruantiae familiarum* pro lege ſunt.

I. *feudalis*, die Inteſtat-Lehnsfolge) quae determinatur natura feudorum

I. communi

Succeſſio legitima feudalis ratione obiecti *communis* (die gemeine Inteſtat-Lehnsfolge)

I. ſingulari & peculiari

Succeſſio legitima feudalis ratione obiecti *ſingularis* (die beſondere oder eigene Inteſtat-Lehnsfolge) e. g. in feudo feminino &c.

Vtraque regitur

I. iure feudali communi patrio aut Longobardico

Succeſſio legitima feudalis in Germania *communis* (die Inteſtat-Lehnsfolge nach gemeinem Lehnrecht in Teutſchland.)

I. iure cuiuslibet curiae

Succeſſio legitima feudalis curialis ſ. *particularis* (die Inteſtat-Lehnsfolge nach dem Recht eines jeden beſondern Lehnhofs.)

Seite 227